

Carolus

... generalis ... Militiae

Zawisza Christophori: Carolomachia.

Bojer Laurent, auth.


V
B
J
C
18260

CAROLOMACHIA.

QVA

FELIX VICTORIA, OPE DIVINA, AVSPICIIS SERENISSIMI ET POTEN: SIGISMVNDI III. POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS, MAGNI LITHVANIÆ DVCIS, &c. &c.

PER

ILL:um D. IOAN: CAROLVM CHODKIEWICIVM COMITEM IN SZKLOW ET BYCHOW, SAMOGITIÆ ET DERPATI CAPITANEVM, NEC NON LIVONIÆ PRÆSIDEM, ET *M. D. L. Generalem militiæ Ducem, &c. &c.*

DE

CAROLO DVCE SVDERMANNIÆ S. R. M. PERDVELLI V. Kalend. Octob: A. D. 1605. in Liuonia sub Kyrkholmum reportata, narratur.

SEREN: PRINCIPI WLADISLAO

A

CHRISTOPHORO ZAWISZA,
in alma Vilnensi Academia Societ: IESV, Studioso.

D. D.

VILNÆ. Typis, Academicis S. I. Thomas Leuicki
A. D. M. DC. VI





Ad Serenis.mū Principem Vladislaum.

REx genitorq; tuus fert, WLADISLAE, maniplum,
In quo fertilitas, Pax, Homonœa latet.
ax finis belli, Bona Pacis Marte tueri,
Res pia; Bella facit Rex pia, teq; docet.
osephi vt quondam, stet ô hic in honore Maniplus:
Se velit hostis ad hunc sternere Propatruus.

GEORGIVS ZAWISZ

SERENISSIMO PRINCIPI VLADISLAO POTEN:SMI SIGISMVNDI III. POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS, FILIO.

E castris Mineruæ, aciẽ produco Martiam, sub tuis signis. SERENISSIME PRINCEPS, sed pacatâ hac Musarũ, non illâ turbulẽtâ, Bellonæ operâ. Nec nouus iste, calami cũ capulo, cũ sanguine atramenti, togæ cum sago nexus. Armata Pallas, armato Marti, ita ab omni æuo fauit, vt quidquid iste præclarè egisset illa pennato suo curru, in altũ euexerit; & posteritatis memoriæ comendatum, vita perenni donârit. Iacuissent

n tenebris, & ferreâ obliuiõis nocte,
opori delituissent, veteres illi Martis
ılumni, qui nõ interfuerunt solũ, sed
oræfuerunt maximis bellis: nisi, mori
ıescij ignes Heliconij, velut lucen-
es in tempestuoso Oceano Phari,
plendoris sui radio, opportunum eis
ubsidium attulissent. Mitto vetera, &
extera. Recentia, & domestica, belli-
cæ laudis decora, hoc loquuntur. Ea
icet felici partu edita, tamen cum la-
bente mundo occumberent, nisi vin-
dices vetustatis, accederent litteræ, &
præliaribus tubis, tibiæ occinerent
Musarum. At enim neq; tua, VLADI-
SLAE PRINCEPS, neq; verò mea ætas
ert, vt omnia bella, nominatim, velut
ex trium-

ex triumphali tabulario, recenſeantur; quæ feliciſsimis, Sereniſsimi REGIS noſtri, SIGISMVNDI III. Parentis tui auſpicijs, Sarmaticus Mars, & affecit animosè & ſtrenuè confecit. Id vnũ, quod, (propè dixero,) nudius tertius, manu promptus, prouidusq; cõſilio, Lituanæ militiæ Dux Perilluſtris Comes Ioañes Carolus Chodkieuicz, in Liuonia, contra perduellem Carolum, Sudermãnię Ducem, euentu fortunatiſſimo, geſsit prælium, nõ animũ ſolùm, lætitiæ voluptate pulſat, ſed ſenſus ipſos, necopinâ magnitudine ferit. Prodierat rebellis ille Carolus, milite inſtructus, quàm aliás, audaciâ, numero, apparatu maiori.

 Spe

Spe triumphum præceperat. Epinicion ante victoriã cecinerat. Occurrit ei, paruâ manu, ſed æquitate cauſæ, & innatâ virtute animatâ, Patriæ amantiſsimus, REGISQ. Parentis tui, ſtudioſiſsimus, noſter Carolus. Claſsicũ cecinit, ad galeatos illos lepores venit, vidit, vicit. Nec plura ego híc, de eâ pugnâ, quæ tam breui tempore, tam exiguis copijs, tam amico numine, fuit pugnata. Malo, illam vt ſpectes, in hoc Vilnenſium Muſarum Technopægnio, ſi minus expreſſam, ſaltem adumbratam. Spero equidem, aurem vellente Apolline, rediturum te PRINCEPS SERENISSIME, in memoriã Chriſtophori atq; Georgij Zawiſza-

rũ, obſequijs tuis addictiſsimorũ; quos paucis abhinc ãnis, Vilnæ tibi notos, nõ minus Patriæ commodorũ, Senator amantiſſimus, quàm pro ſuâ illá rará, & ſingulari eruditione, inſtitutionis noſtræ literariæ, cupidiſsimus parens, Andreas Zavviſza, gloriæ, & meritorum in Rempub plenus, primum Minſcenſis Palatinus, deinde tempore, quâ bello, quâ fame, quâ peſte difficillimo; prouidentiſſimus M. D. L. Theſaurarius, orbos iam, & ſua morte, (heu dolor,) afflictos reliquit. Erit quandoq; tempus, quo tempore, nõ ignauâ operâ, nec ſupernatãtibus verbis, ſed reapſe ſtudia tibi noſtra, probemus. Creſce modo Deo, Patriæ,

 tibi,

tibi, nobiſq; tui ſtudioſiſsimis; & dū
te tanti, duorum imperiorum REGIS,
ſubſidium generis, nominis memori-
am, hæredem familiæ, eſſe meminiſti:
ſimul etiam, tam fauſtos, fortunatoſq;
bellorum, per eiuſdem ſupremum,
in Liuonia copiarum Ductorem; ge-
ſtorum, illi, tibi, nobis, id eſt Patriæ
vniuerſæ, exitus gratulare. Viuat a-
pud te, recentiſsima ſemper memori-
a, fortunatiſsimi Herois, Ioannis Ca-
roli Chodkieuicij, qui periculo pro-
prio, noſtra redemit, & honori com-
modoq; Patriæ, vitam poſtpoſuit.
Viuat Poloni Lithuaniq; militis a-
mor, qui pulchram, quærens ꝑ vul-
nera mortem, vita & ſanguine, ſuam
Sereniſ-

Serenissimo Regi, tibiq; toties obsi-
gnauit fidem. Ego verò, Princeps Se-
renissime, tibi potisſimùm, hanc Ca-
rolomachiam, vadem meorum obſe-
quiorum, offerre volui: vt, quemad-
modũ clypeus Mineruæ, artifici Phi-
diæ cælamine, Gigantomachiam &
Centaurorum bellicum congreſſum
ſcitiſsimè exſculptum præferens, in
miraculis artium habebatur, ita hæc
qualiſcunq; opella, tuæ beneuolentiæ
fauentes oculos mereatur. Vilnæ
ad x. Kalend: Maias.

Ad omnia obſequiā pāratiſsimus
CHRISTOPHORVS ZAWISZ-

Ad eun

AD EVNDEM SER: PRINC:

OPrinceps atauis edite Regibus;
O & delicium dulce tui Patris,
Vna & summa domûs spes Iageloniæ;
Cùm virtus animis insita sit tuis,
Et belli studium, Martius & vigor:
Hæc inter Carolos prælia pellege,
Quæ, quâ Fama fide tradidit, edidi.
Caussæ disce bonæ fidere: quam licet
Sors aduersa premat, nō tñ opprimit.
Reges astra pios casibus, & DEVS
Exercet varijs. id loquitur Dauid:
Viuens id loquitur Rex genitor tuus.
Nũc Rhãnusia, Mars, & Furor ĩpetit.
Vincit magnanimus teq; docet pati, &
Qui dat sceptra, Deo vindice vincere.

IDEM

AD

AD ILL: CAR: CHODKIEVICZ.

LAus CHODKIEWICIÆ decusq; gentis,
O & lux Patrij iubarq; Martis,
Suecanæ graue fulmen o Enyus,
Victor Carole, Caroli potentis;
Depangant alij tibi trophæa:
Figant pyramidas: locent colossos.
En Clio mea, Carolina bella
Audax condere, posteris canenda,
Regis filiolo prius legenda;
Tornatum male, Pythio sinistro,
Principis thalamo potentioris,
O audacula! sacrat hoc toreuma.
Num tu, Regia quod leget, releges?

AD EVNDEM.

DEsine Roma tuos fortes iactare Camillos,
Fabricios, belli fulmina Scipiadas.
Plura hic ab hoste refert victricia signa Camillus.
Fabricius paruo gaudet hic esse potens.
Huic regere imperio locupletes dulcius auri,
Quàm tunica aurata purpureáue tegi.
Quanta vi, quantis hic Scipio fulminet armis,
Turma Sudermanni docta suopte malo.
Macte animis tantis, Lithuanice viue Camille,
Viue diu Fabrici, Scipio viue diu.

Idem.

De Eodem.

FVlget Mæonio Pelidæ Fama cothurno,
Fulget & Andino Dux pius ille Phrygum.
Niligenæ ſiſtrum te vatis honorat, Honori:
Qui canit & domitos à Stilicone Gothos.
Punica Bella ſonat clariſsima buccina Silî.
Thebaidem celebrat Papiniana tuba.
Æterno lituo Caroli pia pugna canenda:
Par huic frater eris? vel voluiſſe placet.

GEORGIVS ZAWISZA.

AD PERILL: D. HIERONYMUM CHODKIEWICIUM D. Caroli Filiolum.

MArte præclari Comitis, Duciſq;
Militum ſummi generoſa proles,
Cui ſacrum nomen Charites dedêre,
Hîc viden' Patris patriam tuentis
Marte felici ſubitos labores?
Hos mei fratris, ſtudioſa veſtri
Nominis, verſu decorat Camœna.
Hos vti veros vir an æmulari
Tu voles? Regi, Patriæ ſtudere?
Hoc tibi armatus pater auguratur,
Baſijs fixis galeam per ipſam,
Martium inſpirans tenero calorem:
Ipſa frons & mens generoſiori
Indole fatur.

CAROLOMACHIÆ
LIBER I.

AVsa Ducesq; cano, Litauiq; trophęa Gradiui.
Armatos *CAROLOS* cano, quos Boreætidis oræ
Vrbs *RIGA* infestis vidit concurrere signis.
Nomen idem ambobus, sed Numen & impetus impar.
Ille hostis violens æqui iste grauissimus vltor.
Iste *SIGISMVNDO* Regi studet, ille rebellat.
Liuonicam ille plagam prædo inuolat, iste tuetur. Antithesis Caroli vtriusq;
Impetus est impar ambobus & exitus impar.
Iste minore manu profligat & obruit illum.
O Superi, neq; res geritur sine Numine vestro,
Quis vester fauor in Litauos, quæ gratia tanta R. Sigismundi III. auspicijs varij hostes triũphati.
Sarmatiæ in Regem, cui debellare tot hostes
Iam toties, sine clade, datum? quæ secula porrò
CAROLE te tam felicem genuêre Strategum!
Tune laboranti patriæ succurrere natus?
Tun' graue Martis onus tolerans tutaris alumnam
Liuoniamq;, tuæ quæ cuncta est credita curæ? C. Chodkieuicius Polemarchus Lituan: administrator Liuoniæ.
O noue Mars Litauûm, si quid quierit mea Clio,
(Quire parum queritur se plus ea velle fatetur.)
Non tuus hic sine laude labor, sine carmine virtus
Ibit in omne solum, cursum extra Solis & anni,
Americen super, haud vllis abolenda diebus.
Conscius hanc iam Duna vehit maria omnia circum,
Circum omnes oras. Trepidat Suecania dudum
Ad *CHODKIEVICII* non expugnabile nomen.
Nomen ô hoc inscribe cedro mea Musa perenni,
Articulis vsura meis: male prouida quando
Semestrem in tanto me cardine laudis athletam
Ex Helicone legis Clariaq; è gymnade Vilnæ.
Reiectarem opus hoc onus hoc his viribus impar,
Ni patriæ superâret amor, ni gloria tanti
Digna cani Ducis, ac patulum celebranda per orbem;
Regia ni Soboles Duce *VLADISLAVS* in isto
Pro Patriaq; focisq; sacris pia bella probaret.

 Post

Postquam Liuonidos decus indelebile gentis
Riga obsidione soluta. Et Lothauæ regionis apex Reginaq; RIGA,
Post tot inexplicitos ab iniquo Marte labores
Marte Sudermanni Ducis, obsidione solutâ,
Respirauit, agens deleto ex hoste triumphos;
Milite cum Litauo, cuius victricibus armis
Arbitra Iustitiæ Diuina Potentia fauit,
Millia dena manu tenui sub Tartara mittens,
Militię Ductor, Comes illustrissimus ille
IOANNES CAROLVS CHODKIEVICiana propago,
Fronte nec elata rebus nec mente secundis,
Mœnia læta subit, sine magno Victor ouatu,
Tanta viro virtus, animiq; modestia tanta,
Vota soluturus solenni & carmine laudes,
S. Iacobi templum Rigæ. Propitijs tantorum operum belliq; peracti
Auspicibus Diuis, Diuûmq;, ante omnia, Regi,
Vrbem introgressus sacram petit ilicet ædem,
Diue Iacobe, tuum quæ præfert ardua nomen,
Quam demum Socijs de *IESV* nomine dictis,
Docta Relligione viris, addixit habendam
Liuoniæ assertor *STEPHANVS* Rex optimus aras
Et seruare pias arcere & finibus hostes.
Solennis gratiarum actio de Victoria. *CAROLVS* hîc tollit lustratam ad sidera mentem
Atq; oculos geminasq; manus, in genua recumbens,
Non pietate minor vir vt est quàm fortibus ausis,
Inq; sacris medijs, quibus alba in veste sacerdos
Tunc operabatur, summi & recolebat honorem
Principis Aligerûm, duce quo Draco victus & imum
Actus, Diuini subsessor honoris, ad orcum,
Vocibus his Regem supplex affatur olympi.
Oratio Strategi. Christe potens rerum, Rex optime maxime Regum,
Vsq; *SIGISMVNDI* nulli pietate secundi
Regis Atlantæos miserari prone labores,
Militiamq; eius pugnare ac vincere doctam,
Numen adoro tuum, veneror q;, quod hostia sacra,
Quod sacer iste calix sacri pro vertice Mystæ

Tensus

Tensus & æterno, qui temperat omnia, Regi
Melchisedechæo rituq; modoq; litatus, S S. Missa.
Pro viuis & pro vitali lumine cassis,
Exhibet hîc præsens at inobseruabile Numen,
Numen adorandum tamen omni & honore colendum;
Quas tibi Christe referre parem quas dicere grates?
Aspera te toties hæ bella fauente Magistro
Conficiunt, sine clade, manus, hæc brachia pugnas
Euentis toties obeunt victricia dextris.
Nusquam aliàs, octo congressibus antè rebelles
Occiderint quamuis informi clade Sùedi,
Nusquam Liuonicis tot fusa cadauera campis
Vna dies vidit, quot paucas strata per horas
Sol Kyrkholmiacis & lux sacra vidit in aruis, Insignis Sudermannicorũ Strages.
Pontifici sacra Sarmatico, qui cæsus ad aram
Diue tuam Michael, ad atrocia iussa Tyranni
Viuis & vita functis monitoribus aspri.
Plena cadaueribus stant omnia, plena cruore,
Ingentesq; dati miserandæ stragis acerui.
Mens meminisse horret nobis victoribus ipsis,
Ire iterum in lacrymas tam flebilis vrget imago.
Quis, nisi Caucasea genitus vel rupe, vel altus
Tigride ab Armenia, cernens vndare cruorem
Christiadûm, temere hæc spaciosa per arua profusum,
Quem Deus ipse tuo preciosum sanguine duxti,
Temperet à lacrymis? Quis at his laniatibus author?
Testor ego has lacrymas & conscia sidera testor,
Non in me cadere hoc scelus aut mea signa sequentes.
Tutari patriam detrudere finibus hostem,
Et Deus & Natura sinunt, iura omnia laudant.
Ipse Sudermannus scelere ante immanior omnes causa mali tanti.
Quos modo fert Europa Duces, proprio ipse Nepoti
Et proprio Regi, furiata mente, rebellis,
Caussa tot est grauium crimenq; caputq; malorum:
Dij capiti illius soboliq; luenda reseruent.
Iamq; luit toties prostrato milite victus.

Sudermannus bis fugatus. Ipse bis arua fugâ bis degener æquora verrens,
Sarmata victor eum dare terga pudenda coëgit.
Tu tu victori vires animosq; viriles
Sufficis, alme Parens, & inexpugnabile robur,
Iustitiæ nobis violatæ vltoribus vsus.
Deo præpotenti referenda victoria. Non nobis tamen hæc tibi detur adorea soli,
Nominis atq; tui nullis stet gloria metis.
Viribus haud nostris hæc nos infregimus arma
Tam valida: haud nostris res est ea gesta farissis.
Hanc tua vis, pie Rex, tua sola potentia gessit.
Nominis auspicioq; tui victoria parta est.
Te duce tam dubiis erepti casibus, hostes
Accelerare fugam & morientia vidimus ora.
His adeò meritis dum Regna Polonica stabunt
Nomen honosq; tuus, tua laus, tua gloria stabit,
Gratisono Litauûm semper memorabere cantu:
Ceu modò, te meritâ super æthera laude vehentes,
Vocibus alternis simul organico modulatu,
Hymnus Ambrosianus gratia victoriæ cantatus. Dulce melos damus vnanimes, Aurelius olim
Quod dedit Ambrosiusq; tui duo lumina cætûs.
Laudamus te iuste Deus, Dominumq; fatemur,
Quem terra æternum veneratur & astra Parentem.
Cui chorus Aligerûm canit incessabile carmen,
Sanctum exercituum Dominum te voce vocantes.
Et meus iste suas voces exercitus addit.
Ille Patrem immensæ te Maiestatis adorat.
Ille tuum vnigenam venerando Numine natum.
Ille ab vtroq; oriens spirabile Numen adorat.
Gestit & ore pares animoq; rependere grates.
Tu Rex Christe: tui stat inobruta gloria regni.
Tu vindex hominum, domita Styge, Morte repressa,
Cœli aperis & regna pios in aperta reponis.
Te simul ô Virgo, cuius Rex optimus idem
Virgo mater laudata. Felicem subiisse vterum, feliciter artus
Sumpsisse humanos hominum ergò haud vile putauit.
Te simul in laudis partem Regina vocamus.

Hactenus

Hactenus vt nostros nunquam es frustrata vocatus,
Me tuita es, sociosq; pio Mauorte tuentes
Liuoniam, terramq; pio quam sanguine partam
Esse tuam voluit Pietasq; sacrauit auita.
Profuit à viridi tibi me addixisse iuuenta,
Doctificisq; tui cultum sociasse Camœnis.
Profuit ædicula tibi sacrâ & in æde beati
Vilna *STANISLAI* quam nomine condidit olim,
Augusti indigetis *CASIMIRI* ponè sepulcrum,
Me sacris indutum armis à Præsule WOYNA.
Quantas Vilnensis Benedictus Episcopus istis
Vires oratu indiderit felicibus armis
Ipse ego sum testis totiesq; coercitus hostis.
Diua tuæ memor huius opis, tantiq; fauoris,
Sarmatiæ à gemino memor auxilijq; patrono,
Quos pia Vilna colit, votiuas Victor ad aras
Sæpius, incolumi modò vita supersit, in anno
Persoluam laudes & ab imo pectore grates.
Hisq; Stanislai signis hostilibus ædem,
Ædiculamq; tuam, Casimiriacumq; sepulchrum
Vndiq; condecorabo, breui rem carmine signans;
Mars pius hæc Litauûm, fuso, vexilla, Suedo,
Auspicibus Superis. ita cresces laude recenti
Tuq; puerq; tuus, Tutelaresq; beati.
Nec tua laus aberit, nec honos indictus abibit
Dux geniûm, virtusq; poli, domitorq; Draconis
Tartarei, cui sacra dies hæc ipsa refulget,
A nobis simul hic steteras, vt credere par est,
Luciferi Arctoas proturbans ense phalanges.
Tutor eras olim Isacidûm custosq; Sionis,
Dilectiq; Deo populi. veneratur eundem
Te defensorem pia gens & concio Christi,
Et passim tibi templa struit sacrosq; penates.
Vilnæ vnum, impensas numerante *LEONE SAPIEA*
Insigni pietate viro, pomœria clarat,
Virginis & Claræ sacras exercet alumnas.

Liuonia V.M. sacra.

C. Chodkieuicius Sodalitati Parthen: nomen à pacto dedit Vilnę.

Sacris armis indutus à B. Woyna E.V.

Ædes S. Stanislai Vilnæ.

S. Casimirus humatus in sacello B. V.

Laus S. Michaelis Archangeli.

Tutor ecclesię.

Ædes illi sacrę.

Niesuiaci colles aliud praenobile monstrant,
Quod Syrijs ab agris Solymes & ab vrbe regressus,
Dux *RADIVILE*, reus voti, procul vrbe locabas;
Mitto quod erexit quondam inclyta Regia Graci,
Mitto sacras alijs tibi, ô ales, in vrbibus aedes.
Vilnensi excubitor dum stabis aheneus arci

Icon Angeli versatilis in arce Vilnen:

Atq; superstabis magni conclaue Monarchae,
Vndiq; tensa ala versatilis indice venti,
Romphaeam intentans bis acutam hostiq; minatus,
Nulla tui tutae fiducia cesserit vrbi.
Perge fauere pijs, Dux inuictissime, bellis.
Tu quoq; summe pater cuius mea Pallas honori
Velificatur in arma ruens, arma impia contra,
Per te per Superos, per quo nil gratius vllum
In terris nec in axe datur, quae nunc tibi ab aris
Hostia missa datur, posthac da semper in hostes
Successu ire pari: coeptis neu deficе rebus,
Tu solita virtute tua percelle rebelles,
Incute vim nostris & robur equisq; virisq;,
Cedere si nolit caedatur vt improbus hostis:
Norit vt haud alium, Deus ô, te praeter, haberi,
A nobis opifer qui stet pugnantibus, & qui
Pro nobis pugnet: qui sit tutamen in armis.

viri, vexilla & tormenta capta.

Hac prece laudisonoq; hymno sacrisq; peractis
Itur in attiguam Riganis moenibus arcem.
Praegreditur captiua manus, generosius agmen,
Serò dolens se Iustitiae pugnasse potenti.
Antè volant erepta duci vexilla fugato
Quinquaginta sex, tanti decora inclyta facti.
Pone vndena rotis tormenta sequuntur ahena,
Stridunt seq; pijs nocuisse coacta gemiscunt.
Arcis in ipso aditu, superoq; in limine portae
Bina stat effigies, quam relligiosa vetustas
Marmore de solido statuit niueoue thyite.
Coelitis vna refert pia virginis ora Parentis
In gremio natum, pignus coeleste, fouentis.

Parte

Parte alia bello fortunatissimus heros,
Militiæq; sacræ quondam hac regione Magister
Walterus Pletebergiades candore niuali
Quem cruceq; insignita tegit toga, vertice nudo,
Cætera obarmato similis, reuerenter eandem
Conspicit, auxilium præsens expertus opemq;
Cuius erat, pia bella mouens, at milite paruo,
Millibus innumeris Moschorum. Huic Regia virgo
Conspecta est è nube palam, ceu fama, precanti,
Se cum prole professa sua succurrere pronam.

Pletebergius pius olim & felix militiæ Liuonicę Dux.

Hanc simul aspexit Comes introgressus vtramq;
CAROLVS effigiem, salue, inquit, ô inclyta Virgo
Tuq; puerq; tuus, parili mea, signa fauore
Parua tuebaris, quali Pletebergica quondam.
Munere pro tanto quæ munera digna rependam?
E spolijs, pia virgo, meis, argentea stabis.
Pòst, ope si solita mihi faueris, aurea fies.

Sic memorat, simul ipse suos in Regia ducit
Tecta, iubetq; epulas tantarum gaudia rerum
Excipere instructas: sacr âprius æde locatis,
Quam celebrem tenet arx intra sua mœnia, signis.

APPARATVS SVDERMANNICVS.

Hic laxata tonant simul æra vomentia flammas
Atq; triumphisono percellunt astra fragore.
Intremuit pontus, tremefactaq; littora ponti.
DVNA sed agnouit sonitum vicinior arci,
Conscius & parti superato ex hoste triumphi,
Lætitiæ indicium per ahena tonitrua factum:
Duna Ruthenorum procul in confinibus ortus
Liuonidum rate mercifera Rex diues aquarum,
Lætitiæ simul ipse dedit manifesta per vndas
Argumenta suæ coëuntibus vndiq; Nymphis,
Quæ fontes fluuiosq; colunt pelagusq; propinquum,
Natæ sub vitreis agitare cubilibus æuum.
Applaudunt, agitantq; chorum, glomerantur in vnum,

Narratur à Duna apparatus Caroli Sudermanni.

Duna fluuius Rigen: ex Russia in mare Balthicum profluens.

Atq;

Atq; triumphantem Dunam festo agmine cingunt,
Deq; Sudermanni casu gratantur ouanti.
Nympharum decus ante alias Reginaq; Balthe
Questa sui maris imperium prædonis ab huius
Sudermannus archipirata. Omne latrociniјs violatum hos esse per annos,
Vrbibus à variјs quas lucri huc ardor adegit
Mercibus exutas interceptasq; carinas,
Se Domina inuitâ, sed ea cum classe tyrannum
Perdere molitâ, scopulis vel fluctibus haustum,
Si Superûm sineret, qui temperat omnia, Rector,
Qui tolerare malos solet vt pia corda probentur,
A quibus exagitata poli sese arcibus aptent.
Tum sic iuncoso residens in littore fatur
Duna cruentus adhuc, cæsorum & sanguine tinctus;
Dunaides, mea cura, Deæ, vosq; inclyta Ponti
Numina Balthiaci, celebri cum Principe vestra,
Numina Fortunæ penitus non inscia nostræ,
Scitis & expertæ mecum meminisse potestis,
Si meminisse iuuat, positumq; nouare dolorem,
Et refricare recèns obductum in pectore vulnus,
Dulce sed esse solet veterum meminisse malorum,
Lætitia subeunte noua domitrice malorum,
Et meministis & expertæ meminisse potestis
Quæ me Liuoniamq; meam fortuna tot annos
Quis furor exagitet. Fatis variantibus ipsi
Non licet esse diu felici. Martius illam
R. Bathor Liuoniæ vindex. Rex Bathor eripuit Moscho, pressamq; Tyranni
Seruitio asseruit libertatemq; reduxit
Et pacem reuehens & anhelis otia terris.
Iamq; ea vicenos pacata refloruit annos,
Visa resumere vernantem rediuiua iuuentam.
Vulneris inflicti nec erat super vlla cicatrix
In decus antiquum veteremq; reducta nitorem,
Nil metuens hostile sibi, secura pericli,
Læta incrementis rerum, lætissima frugum
Vbere prouentu, vix se iam ceperat ipsam,

Vrbibus

Vrbibus, vrbicolis, auctis & vbiq; colonis,
Derpatum laribusq; nouis ampioq; lyceo,
Et propugnaclis pęne ipsa prehenderat astra.
Ipse meam Rigam mutare tot vndiq; merces,
Totq; opibus grauidas huc ire redire cupitis
Vidi lætus aquisq; meis innare carinas.
Ast hac sorte diu nobis gaudere negatum,
Liuor & Ambitio, placidæq; inimica quieti
Lis, & legitimis inimica Rebellio sceptris,
Hæreseôn furiale malum quas excijt Orco;
Fœdere turbato, violato pignore pacis:
Nos iterum his mersêre malis, deterrima belli
Crimina ciuilis regna inter amica ferentes.
Ergo rebellatrix proprio Suecania Regi
Bellum inuita facit, solioq; excludit auito
Irrequieta *SIGISMVNDVM* nil tale merentem,
Arma coacta sequi Caroli furijsq; Tyranni,
Cui dolus, ambitio, furor & violentia cordi,
Ille suo Regi mouet arma suoq; Nepoti,
O scelus, ô Siculis res illaudata Tyrannis!
Ille Gothos in eum Suconesq; ferociter armat:
Armat & inuitos in prælia trudit agrestes,
Tutandæ Fidei prætexens nomine culpam,
Gostauo genitori eius quod oportuit actum,
Sinceram temerante Fidem Nouitate Lutheri.
Finnoniâ, quæ fida diu stetit antè, subactâ,
Liuoniam inuadit rura, oppida raptat & arces
Tutas atq; nihil sibi ab hoc prædone timentes.
Dirus vti Sciron, & laus Thesæa Procustes,
Arua aliena iugo premit, inuolat, occupat, angit.
Detur huic vtinam Scironi Theseus alter:
Æquoreis vt aquis pius vltor adobruat ossa,
In scopulos abitura licet, Scironis vt ossa.
Quamuis ipse queat viuensq; vidensq; putari
Dudum hominem posuisse, ferumq; in marmor abisse,
Vel sub forma hominis gestare rigentia saxa.

Liuonia ex integro turbata.

Suderman: proprio Regi & Nepoti iniquissimum bellum facit.

Ipse Sudermannus, ferus, immanisq; Tyrannus:
Dedecus Europæ, Sueonum fatalis Erinnys,
Sanguinis agnati labes, hominum alta vorago,
Idem Aquilonigenûm viuax infamia regum.
Quem, nisi Suecanâ sit caute rigentior ipsâ,
Quemue, nisi Hircanâ sit Tigride atrocior ipsa;
Tanta mouere nequit nex & laniena cadentum,
Quam vidit miserans hoc lamentabile lustrum?
Crudeles equidem Furias, Acheronte sub imo,
Quiq; Acheronti præest reor effera pectora Ditis
His tantis commota malis gemitumq; dedisse,
Inaudita Liuoniæ calamitas authore Sudermann: Quæ miseræ nimis, armorum hoc oriente tumultu,
Liuoniæ incubuêre. supra numerumq; fidemq;
Millia multa iacent, quos inclementia cœli
Strauit & acris hyems, quos & violentia Martis,
Et sata Marte fames, & atrocior huius alumna
Pestis & ira Dei. mens his narratibus horret.
Visa Thyestææ reperita tragædia mensæ:
Humani morsus in humata cadauera passim,
Prorsus inhumanum, visu nec amabile, versi.
Omnibus exhaustos rabies huc egit edendi
Ruricolas, & in oppidulis miserabile vulgus.
Luror vbiq; lues & plurima mortis imago.
Qualis sub rigidi neq; visa tyrannide *MOSCI*
Quæ non, tot lassæ rumpendo stamina Parcæ,
Quæ non remigijs tot fessus nauita Lethes,
Quæ non dira Sudermanno cecinêre coacti
Linquere dulcem animam merita nec morte perire.
Hæc si Liuonidûm meruerunt pendere mores
Sudermann: pœna manet. *NOXA*, superstitio, Fideiq; renutus auitæ.
CAROLE dire, lues tamen horum causa malorum:
Serius at grauius miserorum funera pendes.
Magno emptumq; voles nunquam tetigisse carinâ
Liuoniam gentesq; meas agitasse quietas.
Sed quid Abydeno capiti cano talia demens?
Num metus hunc reprimat faciesue miserrima rerum?
Num quis huic tangat dolor impia corda tyranno?
Num quæ cura remordeat hunc, viduasse tot vrbes

Ciuibus, vxoresq; viris, cultoribus agros;
Dedecorasse Gothos, ac desolasse Suedos,
Proÿciens miseros in aperta pericula Martis
Et Mortis toties, adigensq; in prælia victos?
Liuonicos Gothico pinguescere sanguine campos
Vndiq; disiectis albescereq; ossibus arua,
Iure stupescit adhuc Lothauorum proxima tellus,
Harria, & Esthonia, & vicina Vironia ponto.
Hic vbi tot iustis insignijt arua trophæis
Regius ac retulit tot signa rebellia miles.
Num victus toties insigni clade suorum
CAROLVS absistit? num condit mutile ferrum?
Sæuus amor ferri vetat & furialis Enyo.
Gradiui soror hæc ebrio quam *CALlida VINO*
Hæresis & Babyloniaco *VESAna* culullo
Excierat, mihi ceu memorauit Enolmia Nais.
Se, positis armis, muliebriter ornat Enyo.
Crista galericulusq; suprà erinale stat aurum;
Tisiphonæus eo sed enim latet anguis in auro.
Aurum abit in colubrum, quod obibat tortile, collum.
Fit Cristina marita Ducis, cui mascula mens est,
Mens elata, tumens, nec in aspera iurgia segnis,
Seditione potens, Iunone superbior ipsa,
Prona ciere virum, Martemq; accendere linguâ.
Regia tecta petit, bimarisq; STOCHOLMidos arcem,
Et *CAROLO* ante oculos his se cum vocibus offert;
Ergo tot incassum fusos patière labores,
Chare marite, tot in bellorum irrise periclis?
An tua rasicomis transcribi sceptra Polonis
Deses in arma feres? mihi an hæc promissa fides est?
Cùm tibi me Pater, Holsatiæ Dux magnus Adolphus,
Coniugio stabili iunxit, propriamq; dicauit,
Reginam Sueonum me dixti aliquando futuram,
Quando erit hoc tandem? cum fortè Polon...s omne
Acer inundabit regnum hoc exercitus armis,
Captiuamq; trahet me, te, natosq; tenellos.
Vsq; adeò reses ac sumptis es inutilis armis,

Prouinciæ Liuoniæ 4. consciæ cladis Sudermannicæ.

Sudermanni coniux malorum incentrix.

ambicio eius.

Vsq; adeò tibi, clara meæ neq; vocis eget res,
Ventosâ in linguâ pedibusq; fugacibus est Mars.
uderman: Fraude doloq; magis quàm viribus vsus apertis,
aude quàm Regem Lincopiæ, simulata pace, repressi,
ellandi arte
alentior. Non sine labe notaq; tui, lapsuq; tuorum.
Calmariam tibi dura fames, non pugna reduxit.
Hanc pro Rege suo validè tutante *BEKESSO.*
Rigam nocte venis, & eandem nocte relinquis,
Regis in aduentum trepidans, Sariiq; strategi,
Ceruus vt ad visum diuersa in parte leonem
Nothus Su- Et fugit, & cursu trepidus quatit æquor anhelo.
dermanni Vol- Non tamen effugit manicas, & vincla *ZAMOSCI*
marix captus. Captiuus tuus ille tibi cognominis hybris.
Egregium verò decus, & spolia ampla reportas,
Tuq; Nothusq; tuus, dum nescis parta tueri,
Dum te surreptis repetitor ab arcibus arcet.
Veisensteinē: Sarmata, tot cuneosq; tuos dat victor Auerno.
victoria. Nuper vt ad Lapidem data millia quatuor Album,
Turpiter amissum conata reducere frustra:
Eripuit *SARIVS* tibi quod victricibus armis,
Strenuitate pari *CAROLVS* tegit, atq; tuetur.
Laus Chodkie Ille comes *CAROLVS* Lituanæ gentis Achilles,
uicij. Quem *CHODKIEWICIO* celebrant è sanguine cretum.
Ductorem insignem fama, & felicibus armis.
Si Gothici quid Martis habes, illum aspice contra,
Si qua tibi virtus animo, tibi si qua manu vis.
Neue fugæ fidens porrò tua nomina fœdes:
Neu Gothicum infusces olim prænobile nomen.
Nostræ vtriusq; domûs agitur laus famaq; gentis.
Aude animis, augeq; nouis nostrum decus ausis.
Degeneres animos timor arguit. Eia vir esto
Mi vir, & imperium Dunam vltra profer & Istrum.
Quo tu Rex, ego certa throni Regina saluter,
Dixit, & amplexu collum blandita petiuit
Inspirans furiale malum, belliq; furorem.
Dux dudum impatiens verbis monitricis amaris
Brachia

Brachia reijciens, quid me, inquit, ô improba dictis
Lacessis toties? quid ita ore dicace proteruis?
Iurgia vt exercet vel amorem fœmina semper.
Men' tu degenerem vocitare procaciter audes?
Ducere in arma viros men' ac pugnare docebis?
Arma viri pacemq; gerant quibus arma gerenda.
Tute gynæceum rege, nere, operasq; Mineruæ
Exercere doce. Tibi acus, mihi acinacis esto,
Fila colusq; tibi, mihi pila minacia curæ.
Deses in arma tibi videor, trieteride tota
Qui valida arma paro, vulcaniq; artibus insto: Solertia Sudermanni in machinis bellicis.
Suecia quicquid habet nitrum & graue sulfur, aceruo:
Eruta cupriferis tot conflo metalla fodinis:
Arte Cyclopæa tot fulmina molior ænea, Eius 2. tormenta bellica immanissima Diabolus & Diaboli Mater.
Exitium paritura viris ac fortibus acta
Mœnibus exitium. Reliquis mole orbibus orbes
Fulmineis duo præcellunt immania visu,
Torquendisq; procul tormenta molaribus apta,
Murifragisq; globis: dictum illud nomine Dæmon,
Dæmonis hoc mater. Furit ira modestius Ætnæ,
Nec tam grande sonat ruptis fornacibus Hecla.
Quantam aliquando trahes ô Riga superba ruinam? Rigæ minatur.
Nec tamen interea cessatum à milite nostro,
Qui modò Liuoniam tegit infestatq; Polonos.
I nunc & residem me linguacissima dicas.
Sceptra thronumq; ambis? Regina incedere gestis?
Me quasi non eadem regnandi cura teneret.
Regnandi speciosus honos. Hunc propter honorem
Omne, reor, violare decet ius, fasq; piumq;.
Ne viuam, ne Rex Sueonum vocer atq; Gothorum,
Si non monstrâro quàm sit mihi viuida bello
Dextera, si *CAROLUM*, quem tu tot laudibus effers,
Non ego contudero, vel magnum præstet Achillem,
Dedecus hinc abolebo fugæ stragisq; prioris,
Perfidiâ quæ facta Ducum, an torpore? meorum. excusat fugam
Vincimur? & victis redit in præcordia virtus.

Pellimur? opprobrium neq; pulsus quisq; meretur.
Plus fuga laudatur Pyrrhi quàm vincla Iugurthæ.
Vir fugiens iterum petet, à quò territus, hostem.
Ergò cauere loco mihi declinare vel ictum
Non liceat, fortiq; caput seruare secundæ?
Faxo tamen post arguerit me nemo fugacem.
Quæ me vidit & irrisit prius arma pauentem
iga minatur. Regia, victorem faxo me Riga pauescat.
Rigam ego. Nolo minis. mea re saga sentiet ipsâ.
Dixit, & ex aula se proripit & rotat ensem
Vagina ereptum, bellumq; inclamitat vni
Continuandum vrbi, quam cuncta sequatur adeptam
Liuonidûm regio. victrix exultat Enyo,
Et voti Dea facta potens, augetq; furorem
In Duce: qui, missis procerum trans æquora primis,
eteras copias colligit. Contrahit in bellum peditumq; equitumq; cateruas:
Germanos Batauosq; Calydoniosq; Britannos.
uecani inuiti Inde suos armat Suecones Finnosq; Gothosq;,
mātur in su- Nolentes Regi aut validis pugnare Polonis,
m Regem. Expertos toties ab ijs victoribus ipsum
Vsq; stetisse Deum, sese inferiora secutos,
Qui prius indomitum soliti sunt vincere Moschum.
Ergò perinuitos promissis grandibus implens
Carolus indigenas mouet, indubiosq; triumphos,
Et quemq; spolijs reducem fore spondet onustum,
Curlandis ab agris, capta & sine sanguine Rigâ.
Ilicet, vt canibus leporum corpuscula, paucos
Tanto exercitui versuros terga Polonos.
Vicit auarities, Ducis & violentia Suecos.
Classis bellica Portubus in varijs onerantur milite puppes,
Et carne & Cerere in victumq; viæq; leuamen,
Et vario genere armorum. varia arma ministrat
Nimirum varijs Suecania fœta metallis.
Iamq; armata phalanx instructis nauibus ibat
Omne tegens æquor, nimis Æolidasq; fatigans.
Vela facit CAROLVS quoq; Rigam appellare velox
Quò

Quo Friderice comes Mansfeldi classe præibas
Nequicquam & varijs tentabas artibus vrbem. — Io : Fridericu comes à Mansfeldt copiarũ ductor.
Promissisq; minisq;. Stetit fidissima Riga.
Dux vbi vela facit, volitant aplustria latè
Pendula corbiferis è Serum vellere malis.
Puppis Suecani præfert insignia Regni,
Terna coronigerum metantem stagna Leonem,
Ac diadema triplex flaui cum mergite culmi.
Insula quâq; iacet gypso generosa nitenti
Quam serit Alandus, genus vnde putatur Alanum,
Agnouit Triton, Gothicis qui Neccus in oris — Triton Sudermanno malè ominatur.
(Namq; necare homines solet ac raptare sub vndas,
Misenum Æoliden olim enecuisse putatus)
Dicitur, è scopulo mox personat æquora conchâ,
Euentumq; canit, non falsus præco, sinistrum;
Dux infausta ducis aui *CAROLE* agmina Rigam,
Agmina non reditura domum, ruitura sub hastis
Ac sub equis Litauis; animos luitura rebelles
Legitimum in Regem, pro quo tibi pugnat & Æther.
Turpiculam dabis ipse fugam flatusq; remittes,
Confusus nimia & concussus clade tuorum.
Si tibi Lapponicus tuus hæc non præcinit augur,
En tibi præcinui. repetens tibi præcino rursus;
Dux infausta ducis aui Carole agmina Rigam.
Fama canit Carolum, nec vero prorsus abhorret,
Pro Superûm pietate, Dei pro Numine veri,
Consuluisse sagas, quas experientia certas — Sudermannus consulit hariolos.
Nec veri docuit vanas, in bella profectum.
Lapponicum Manten & ei sic esse locutum;
Aio te Carolum Sigismundi vincere turmas:
Teq; ex hoc tutum certamine posse reuerti. — Lapponicum oraculum.
Tandem aliquando tamen periturum morte cruenta.
Huic Zoroastæa clarus magis alter ab arte
Pollicitus fuerat, magno promissor hiatu,
Elicere infernas magno stridore cateruas,
In pugnæ auxilium terroremq; hostibus: agmen

Atrum,

Atrum, horrendum, ingens ac formidabile visu.
Nullus at elicuit, siue ars defecerit ipsum, — *agi[illegible]itus co- tus.*
Siue Dei magis obstiterit manifesta voluntas.
Moxq; metu *CAROLUM*, cui seruijt antè, reliquit:
Conatusq; suos ac irrita vota retexit.
Nil trepidus monitu sua Carolus agmina Rigam
Ducit, & agminibus præmissis iungit, & vrbem — *uderman: Ri- am variè, vt ntè illum ansfeldius entat.*
Illico pollicitis conatur habere minisq;.
Rura & ponè sitas addicit ciuibus arces:
Cygnçæ fidei candorem, fæce remotâ
Iesuidûm, quos ipse neci Gyaroue perenni,
Ceu Derpatenses septenos dedidit antè,
Dederet: in fundos illorum & rura senatus
Ius habeat, fructumq; legat, permittit eorum
Et pro gymnasio florens Academia surgat
Spondet, at Islebici placitis hæsura Prophetæ.
Liuoniâq; omni Papæ illętabile nomen,
Si modò Riga iuuet, se nunc abolere paratum.
Riga det accipiatq; fidem, seseq; deinceps,
Rege abiurato, Dominumq; Ducemq; salutet,
Quem tremit electum Gothia ac Suecania Regem.
Ni parere velis, ni sponte recludere valuas,
His tot honorificis promissis incita nostris,
Magnam, ait, Iliadem Riga experiêre malorum.
Si quam fors Litauûm accitis spem ponis in armis
Mitte: cohorticulas ego perdam funditus istas. — *Vires Sudermanni.*
Millia bisseptena virûm, mea castra sequuntur
Non rapta à stiuis nec agrestia corda, sed oris
Contracta è varijs, validissima pectora bello,
Sternere qui Litauos facili ratione maniplos,
Quiq; coronâ alacres tua cingere mœnia quibunt.
Frustra erit aut vallum aut morti prætendere muros.
Pare, ne pereas. sumus en in vtrumq; parati,
Parcere subiectæ vel debellare superbam.
Hæc Rigam tubicen tabulis inarata ferebat.
Mox responsa Duci per eundem Riga remisit,

Qua

Quam & ipse Comes Mansfeldius antè recepit,
Plena fide, constanti animorum robore plena.
Nil agere his *CAROLVM* promissis. nilq; minarum Responsum Rigen : constãtiæ plenum.
Fulminibus, licet arma cuiq; necemq; minetur.
Nam, neq; periuri si nomine gaudeat ipse,
Legitimoq; suo Regi proprioq; Nepoti
Bella nefanda mouens, alienaq; regna, tot annos,
Marte, vel infesta diuexans littora classe,
More Tyrannorum piratarumq; nefando,
Riga volet pariter rea proditionis haberi,
Aut periura, cui data dextra fidesq;. Monarchæ
Sarmatico, deinceps, inhonesto nomine, dici.
Nemo sibi scelus hoc vllus persuadeat author,
Hoc prohibere nefas omni conamine velle.
Nil quoq; blanda animos promissa mouere fideles.
Stent & heris sua iura, suæq; heroibus arces.
Sorte sua tenui contentos viuere ciues
Quærere consuetos mutata merce lucellum.
A grege Iesuidûm summoq; à præsule Romæ
Nulla pericla timere sibi, Fideiue nigrorem.
Esse timenda magis si *CAROLVS* occupet vrbem.
Leucoreo male fida Cygno Caluinica vulpes. Lutherum sui Cygnum dicũt.
Spes parua in Litauis, ait, auxiliumq; cateruis?
Spes mihi firma Deus. Potis hic, vt & egerat olim,
Testis erit Gedeon mihi Nuniadesq; strategi
Isacidæ, numerosum agmen superare minori.
Et quoties Gothus à Litauo numerosior ictus
Hoc lustro & victus? meminit Lapis albus & Orla
Karkhusiumq; Kokenhusiumq; propinquaq; Venda, Loca Victorijs Regiorum insignita.
Ponè Wesembergum bis ab ijsq; relata trophæa.
Pressa licet fuerit tandem bona caussa triumphat.
Excidium crudele mihiq; meisq; minatur
Exitium? quod Fata vetent: prius omen in ipsum,
Auguror, hoc vertent Superi, quod & auguror opto.
Duco equidem satius vel Troiæ fata subire,
Quàm nomen maculare meum, quàm fallere dextram.

Si referire licet, vim viq; repellere fas est,
Non mihi defuerint tormenta, nitrumq; globiq;
Experietur vbi mea pergama scanderit hostis.
Dixit, & vt præco portis emissus apertis,
Vndiq; terrifico laxans tormenta fragrore
Fatum hosti, vallum si certet adire, minata est.
Responso super hoc Dux acri percitus ira,
Suderman: Rigæ succēsset. Vertitur in partem furibundus & exsilit omnem,
Turbinis in morem, pueri quem verbere torquent.
Sæuit inops animi, malæq; rubore perenni
Suffusæ ardescunt, omniq; furentis ab ore
Scintillæ absistunt: oculisq; ignescit, & albens
Caluitiem quassat caput, & sibi mystaca vellit,
Mystaca qui patulas protensus vtrinq; sub aures.
Tum tandem infremuit, rupitq; has pectore voces;
Heu præfractam vrbem, heu rigidam magis ilice Rigam!
Ilice? quin Gothico silice obfirmatior illa est.
Polliceor? facit illa pili. minor? illa minatur.
Certo fores aperire dolo tacitisq; pedardis?
Eludit vigil. Expertus Mansfeldius heros.
Ergo tot incassum dicemur adisse labores,
Æquore transmisso, tot in arma virisq; coactis?
Tantorum impensis operum nihil esse peractum!
Riserit insultans hæc vrbs cum gente Polona?
Non ita: sed Regis Caroli insuperabile robur.
Faxo tremiscat & vrbs & cuncta Polonia posthac.
Flectere quam nequij verbis, ea vapulet armis.
Fulgure nil trepidat? feriatur fulminis irā.
Dixit & vndenis cinctam iubet ilico castris
Rigam cingit xi. castris. Obsidione premi. Mox conuolat, agmine facto,
Calonum fæx & cacularum & nautica turba.
Expediuntq; palas præpilatosq; ligones,
Sarcula, capreolos, plexosq; è vimine corbes.
Cum cisijs trusatilibus: namq; illa supellex,
Magnaq; scalarum vis nauim impleuerat vnam.
Syluæ in castra ruunt, & obusta suburbia flammis

A Mans-

A Mansfeldiacis valli, munimina fiunt.
Certatim insistunt operi, fossisq; parandis,
Atq; loco castris. nec miles segnius instat.
Feruet opus, consurgit opus, non tempore longo.
Artificesq; manus breuis & mora temporis illa
Admirabile opus faciunt, tot vbiq; mæandros
Et Labyrinthæos alta in tellure recessus,
Vnde queat tacitis vrbem temerare cuniclis.
Phlegræam superare aciem molimine tanto,
Certat & inuicto castra aduersata Tonanti.
Tympana pulsa tubæq; sonant, caua fulmina terrent.
Malleoli per inane volant incendiaq; vrbi
Criniti intentant ignemq; picemq; ferentes.
Sed prius excipiunt fossæ quàm mœnia tangant.
Officio neq; Riga suo tunc defuit. hosti
Obstitit: è vallis propugnaclisq; Quiritum
Quisq; suas obière vices & grandine crebri
Plumbeâ in hostiles & aheno fulmine turmas
Detonuêre. equites & equi cecidêre frequentes.
Quin etiam erumpens portis interrita pubes,
Militibus permista in equis, Mauorte secundo
Castra Sudermanni sæpe irruit, obtudit, armis
Exuit ac anima, multos in vincla præhendit.
Victores remeant, ex vallis vrbe tonante,
Atq; vibrante globos hostile potenter in agmen.
Ilicet icta iacent inimica cadauera passim,
Hîc vbi ptochotrophæon erat tibi, Diue Georgi,
Atq; sacrum fanum, nunc hæresis arte profanum
Quò socijs hostes tot confluxêre peremptis.
Ictus & ille iacet (res non sine numine Diuûm
Facta) globo tactus sontem auellente lacertum,
Contemptor Diuûm qui pręscidit ense lacertum
Antè tuæ statuæ, temerarius, alme Georgi.
Sic tandem mutus mutilusq; solum ore momordit.
Ambige nunc Diuûm effigies reuerenter habendas.
Ambige nunc viuos esse, ac scire infima Diuos,

Fossa mira celeritate & arte facta.

Rigensium strenuitas.

Iniurius in S. Georgij statuam punitus.

Ambige nunc Diuos, læsores lædere posse:
Irritas Superos: non irrita pœna sequetur.

CAROLOMACHIÆ
LIBER II.
ACCESSVS CHODKIEWICIANVS.

ATq; hæc diuersa interea dum parte geruntur,
Vt CAROLVS CHODKIEWICius, cui cura tuendæ

[margin: trategus Des-/ pato mouit.]

Liuoniæ data Lithuanæq; suprema potestas
Militiæ, didicit Dunamundam milite cingi
A Mansfeldiaco, tentari pergama Rigæ,
Curonicam dare damna plagam, tot ab hoste rapinas
Incursante pati, Derpati protinus vrbe
Se mouet, obsessis vt opem ferat, omnia linquens
Quæ rapidum remorantur iter: bis mille valentes
Atq; quadringentos equites, peditumq; cateruam

[margin: And: Linder-/ son. Suecana-/ rum copiarum/ generalis præ-/ fectus.]

Mille rapit secum. Sed vbi fit certus eundo
Andream Lindersonem, cui CAROLVS omne
Credidit imperium belli summamq; gerendi,
Liuonidas secum ac Finnos adducere Rigam,
Aucturum Mansfeldiacis hoc agmine vires;
Huic sedet occursare Duci ac decernere ferro.
Tutius vt carptim quàm densus sternitur hostis.
Singula ceu leuius, quàm fascem, hastilia rumpas.
Ergo Pernauiam in campis interq; Felinum
Prima leues ineunt certamina; prima cruenti

[margin: Declinat cer-/ tamen cum/ Regijs.]

Alea Mauortis iacitur. iacuisse suorum
Vt videt Andreas inopina cæde ducentos
Territus absistit pugnæ, dare signa receptu
Imperat & Pikelum citò seq; suosq; receptat,
Ingenioq; situq; loci sua castra tuetur.
Thoes vt infesti, si quem generosa canum vis
Tutatrix pecorum læsit vel dente peremit,
Omnes se latebrisq; tegunt nemorumq; recessu.
Rumor it interea, nec inanis, nauibus ipsum
Aduolitasse Sudermannum cum Principe ab Hornburg:

Lunęburgensi Friderici nomen habente.
Huic iuueni facie insigni, stirpe, indole magnâ,
Iungere connubio natam, quæ nubilis vna est,
Certus erat Carolus, Dominumq; imponere victis,
Si fors vicisset, Curlandis & Semigallis.
Sunt comitata duces hos millia quinq; virorum
Belli expertorum; Suecanæ robora pubis.

Fridericus ab Honrburg Dux Lunębur gen: gener futurus Carol.

At Chodkieuicius nihil hoc rumore mouetur,
Hac illac in equo volat, imperterritus Heros,
Nunc monet ille suos animosq; audacibus implet,
Nunc alias aliasq; vias indagat vt æquas
Ad pugnæ leges abstrusum deuocet hostem.
Vt Lindersonem plano se credere campo
Cernit inaudacem, trepida & formidine pressum,
Inceptum molitur iter, validisq; Felinum
Munit præsidijs audaci & milite firmat.
Volmariam vt ventum, Carolum audit, classe legentem
Littora se Lindersonis sociasse cateruis.
Ecquid agat Chodkieuicius quod deniq; cœptet
Consilium, nunc huc animum nunc diuidit illuc.
An prior aggrediatur eos in littore iunctos:
An magis opperiatur eos pugnamq; moretur,
Præcipiatq; locum tragicis congressibus aptum.
Neue fugam per aquas anatum de more capessant:
Neu, quod ab hoste fero potiùs metuisse decebat,
Vt peditatus erat numerosior, arte dolisq;
Obstructisq; vijs turmam intercludat equestrem,
Aut premat ambitam. potior sententia tandem
Vincit, vt ipse hostem maneat si fortè lacessat.
Castra mouere parat Vendensis ad æquora campi.

Antè tamen rem diuinam sacrumq; frequentes
Templum aditant, precibus Superos & Numina placant,
Mystarum instinctu Ducis imperioq; statutis
Ritè quaterdenas de supplice more per horas.
Dux simul exemplo verbisq; præiuit amicis;
O generosa cohors per te sat conspicis, inquit,

Supplicatio 40 horarum Regijs instituta.

Quo res

ortatio Stra-
egi ad milites

Quo res nostra loco, quæ sit fiducia paucis
Copiosis contra Sueonum ingens agmen ituris.
Ipse Deus Deus ipse rei fiducia nostræ.
Hunc votis superare decet succurrere doctum,
Supplicibusq; pijsq; animis, veniæq; paratum.
Ergò pœniteat scelerum illicitæq; rapinæ
Quisq; animis lustratus & ore piacula fassus,
Feruidus indictis precibus communibus instet
Suppliciter, prout è tabula quemq; euocet ordo.
Non vllum pigeat quàm longa est hora, precari,
Vt Deus ipse animos vires animisq; ministret,
Cuiq; Sudermanno pugnare viriliter hosti.
Dixit, & antè alios supplex aduoluitur aræ,

ximia pietas
Strategi.

Qua super hostia sacra stetit præsensq; sacratæ
Sub simile specie, sed non dubitabile Numen.
Nec prius absistit precibus lacrymisq; profusis,
Astra fatigando Superos in opemq; vocando,
Quàm septem integras, Dux ô pius, impleat horas,
Hasq; in fine preces hic pectore fudit ab imo;

ratio eiusdē.

O rerum supreme parens, Regumq; Monarcha.
Vsq; *SIGISMVNDO* solitus succurrere Regi
Militiæq; eius, propius res aspice nostras:
Namq; quis est alius quem iam implorare queamus,
Tu nisi summe Deus, diuina potentia cuius,
Exultantem animo, numeroq; & viribus hostem,
Hostem legitimo Regi impia bella mouentem
Debellare potest manibusq; retundere nostris;
Vt memini factum septem congressibus ante hac.
Nunc ades ac tenues Litauûm res omine firma.
Sterne Sudermanni prædonis & obrue turmas.
Dedecus hoc refugus referat Regalibus armis.
Per te per genitumq; oro genitiq; parentem.
Tu quoq; Diua parens, Diuûm Regina fauorem
Cuius ego expertus, dubijs ne deficerebus.
Hanc Dominam Superûm non vana in vota vocatam

A Chodkie

A CHODKIEWICIO neq; Numina surda fuisse
Prodigium docuisse canunt cœleste. Sacerdos
Christo asceta sacer, patris Assisiatis alumnus,
In Samogithiaca, quatuor comitantibus, ora,
Bigis inuectus, sub sera crepuscula noctis,
Conspexit per inane virum dare vota parenti
Virgineæ manibus tensis, genibusq; volutis,
Arrisit genitrix & ab vbere pendulus infans;
Liuoniæ geminis pugnæ sub tempus in oris
Sunt in nube aduersæ acies concurrere visæ
Impare sed numero, numerosaq; turba nigrantum
Cedere & exiguis turmis concedere palmam,
Terribilisq; alijs conspectus in aëre fertur
Sanguine suffectus, fatalis hic hostibus, ensis.
Iam sua castra mouet per flumina Gauica Ductor,
Gauia tranantiq; Duci turmæq; sequaci
Lenè fluit, submittit aquas, ac talia fatur;
Ite cohorticulæ mea per vada calle secundo
Liuoniæ tutamen, honos & gloria Martis
Sarmatici, exiguæ numero sed viuida bello
Est virtus vobis, mihi spectatissima virtus.
Et memini & meminisse iuuat, meminêre Suêdi,
Nec meminisse volent quando propè millia septem,
Vertitur hic sextus reuolutis mensibus annus,
A ter centum equitum cuneis hîc fusa fuêre,
Ipse ego complures, glaciali marmore rupto,
Fluctibus his inuolui haustos & in æquor, vt oras
Rellegerent patrias, miseranda cadauera misi.
Ite, inquam, vestris hæc nuncia ferte Suêdis;
Sic, vltore Deo, Regi pessum ire rebelles
Si redeat, tua si velit hæc, fortissime Ductor,
Castra Sudermannus perrumpere, protinus vndas
Promitto vltrices, tu ne modò parce sarissis.
Vix reor ausuros loca nostra reuisere victos
Hîc adeò meminêre canes vbi sæuìter icti.
Hîc modò Dembinios alios, si fortè reuisant,

Regina cœli visa cuidam pio ascetæ.

Aliud prodigium sub tempus pugnæ.

Tertium ostentum.

Gauia flumen Regios affatur.

Clades Sudermanicorum ad Vendam.

Weierosq; alios Rudominasq;, acria belli
Fulmina repperient validis metuenda Gelonis.
Hoc fluuiale probant modulamine Naiades omen,
Naiades vndarum Dominæ, luduntq; sub vndis,
Et spe præcipiunt, quæ post sunt parta, trophæa,
Præbent militibus latices quos terra negârat
Hostica sub Fikelum, quam feruida torruit æstas
Desiccans riuos & anhelis solibus amnes.

Aquæ penuria Regijs incommoda.

Fluminis auxilio miles campiq; patentis
Castraq; metatur, metatus & aggere cingit
Artifici scrobibusq; cauis valloq; sat alto.
Arte repressurus, nequeat si viribus, hostem.
Hic aliquot posuêre dies vigilanter & omnes
Hostilis motus obseruauêre phalangis.
Hosti namq; animus præcepsq; audacia creuit,
Vt CHODKIEVICium pernouit ducere paucos,
Exiguamq; moram belli statuitq; repentè
Signa inferre viris nec opino absumere ferro.
Continuit sese tamen in diuersa repressus,
Seu ratus obtenta nihil illos hiscere Riga:
Seu satius cunctas trahere hæc in prælia turmas.
Nec pauidi, gestent licet ardua cornua, cerui,
Sint nisi complures, audent obstare vel vrso
Vel cui magnanimo, Getula per arua, Leoni.

Castra metãtur Regij in cãpo Vendensi.

Hic, vbi substiterat propè prædia clara Salezi,
Quærit ab agresti Lotauo, qui venit ab vrbe,
An Dunamundensem Mansfeldius occupet arcem.
Ille quidem, tentauit, ait, iaculatus ab alto
Aggere, sed frustra. ne quid restaret inausum,
Ipsis præsidibus sat verba minacia scripsit,
Vltrò ni dedant, saluis custodibus, arcem,
Viribus admotis iurauit funditus ipsam
Se versurum, adeòq; solo, neq; defore vires,
Æquaturum ne lapidi lapis hæreat vllus.
At præses Gabriel generosa stirpe Białozor
Irrisitq; minas sannasq; remisit amaras.

Mansfeldius frustra Dunamundã tentat.

Gabriel Bialozor Mansfeldio respondet.

Tum de-

Tum demum Solymen illam Titus alter haberet
Cùm Dunæ assiduis explesset is haustibus amnem,
Mitius haud Rigà retulisse ferebat eundem
Responsum, quo difficilrs exarsit in iras,
Atq; suburbanum templum, rus, texta molarum
Æolios gyros incendi iussit & vssit.

Mansfeld. suburbium Rigense inflammat.

Tum Carolus pede ter saliens & corpore toto
In gyrum, vos Nereides risistis, opinor,
Hanc leuitatem eius Regisuè Ducisuè pudendam,
Atq; ait, ipse vbi mox adero, facilisq; volensq;
Te mihi Riga dabis, mihi tu Dunamunda patebis.
Hîc ientacula, ibi lautissima prandia sumam.
Et libabo libens Rigensibus oscula nymphis,
Iunctus eis & ouans agiles agitabo choreas.
Talia vaticinans mendaci Carolus ore
Incœptum molitur iter. Mansfeldius illi
Mittit honorificè muliebria signa propinquo,
Atq; cohorticulas nuruum dicam, anne luparum?
Qui mos Teutonibus secum ductare maritas.
Harum in vexillo speciosa volucribus arbor
Vafra quibus rictu vulpes inhiabat hianti,

Leuitas Sudermanni.

Teutonicarũ mulierum vexillum obuiũ Sudermanno.

At CAROLVS CHODKIEWICIVS non inscius horũ
Consilium in melius mutat, Vendaq; relictâ,
Agmen agit versus me Dunam vrbiq; propinquat,
Consilio sit vt obsessis & robore præsto.
Non tamen ipse suos in aperta pericula Martis
Mittere constituit neq; decertare priusquam,
Suppetias & opem Litauis habuisset ab oris:
Nam secus haud fortis Dux at temerarius esset.
Si tamen vrgeret res atq; lacesseret hostis,
In ferrum mens prona sibiq; suisq; futura,
Conscius ipse viros spernaces mortis adesse.
Ergò sub Vxelium primum stetit, hîc vbi primi
Christicolæ tibi Virgo parens sacra tecta dicarunt:
Christicolæ qui Teutonica regione profecti
Liuonidas Christi Numen docuêre, Deastros

Strategus Regius Venda Rigam versus mouet.

 Dedocuere

Dij Lothauorum Ethnicorum.

Dedocuêre feros Pergrubos atq; Patrympos;
Præsule Meinardo, pia quem Segeberga cucullum

Primus sator fidei Christianorum in Liuonia Meinardus Cœnobita: Luthero contrarius.

Et canones, Benedicte, tuos vitamq; secutum
Fouit &, has Lotauis Doctorem misit in oras.
Ille meos latices primum dedit esse salubres
Atq; piare animas sacro emaculante lauacro.
O vbi nunc ea Relligio? quam detulit olim
Puram Saxonicus Monachus, vitiauerat alter
Saxonicus Monachus. Sed pergo: recenseo pugnam.

Arx Kyrcholmensis.

Passibus Vxelio millenis arx stetit olim
Kyrckholmum, quam congeries modò diruta signat.
Fecit huic, ego quam cingo, breuis insula nomen
Ac Templum, quod in hac gens condidit aduena primum,
Liuoniam Christi pia quæ sub signa vocabat.
Hoc Templum Lotaui, tunc sacra fidemq; perosi,
Restibus ambitum vi præcipitare volebant
Duniacas in aquas, vt adhuc ea fama vagatur,
Ausi immane nefas at non ausoq; potiti.
Mox à Christicolis melior quos causa iuuabat,
Hoc ipso domitiq; loco penitusq; repressi.
Hic *CHODKIEVIC*ius, nec equi vlteriora volebant,
Fessa viæ sua castra locat. Noctesq; diesq;
Quem iuuit properos huc circumflectere cursus.
Hic victu reuocant vires, & ab æthere vires,
Præsidiumq; Dei, solitum illis, Numina poscunt.

Duna Rigam solatur.

Interea Rigam verbis ego solor amicis.
Riga, quod optanti tibi crebrò læta recepi,
Regius en Polemarchus adest cum milite, qui sit
Hoste quidem numero, sed non & fortibus ausis
Et caussæ bonitate minor, tibi proximus hæret
In Kyrckholmensi figens tentoria campo.
Ibit hic aduersos, si quando petetur, in hostes,

Suecanæ scaphæ frustra nauim Rigensem aggressæ.

Atq; retundet eos, virtute ac Numine fretus,
Ceu retudit cymbas nuper tua prora Suëdas
Prora armata mei tutrix memorabilis aluei.
Hic rem restituet. Gere tu pro parte tuâ rem.

Riga

Riga triumphali sonuit mox læta fragore
Tormentorum & festiuo clangore tubarum.
Diditur extemplo Suecana per agmina rumor
Iam CHODKIEWICium venisse manumq; Polonam,
Vrbi subsidio pressæ. Pallescere visus
Ora Sudermannus gelidumq; rigescere pectus,
Et trepidare metu: coijt formidine sanguis,
Hæret inops animi quid agat. tum deniq; menti
Consilium sedet hoc, terrendum protinus hostem,
Inq; fugam celerem vertendum quàm priùs illi
Accrescant vires. Placet octo millia mitti,
Consilium Ducibus consultis vtile visum.
Vnus at expertus quid Sarmata possit in armis,
Sarmata fretus equo præpilatâq; sarisâ,
Antetulisse fugæ mortem consuetus honestam.
Linderson obstat, subscribit Sumius illi,
Vtiliùs fore si pugnetur corpore toto,
Nouimus experti qua dexteritate sit, inquit,
Ipse Comes Chodkieuicius, quàm fulminet ense
Romphæauè truci, quanta vi torqueat hastam.
Antè retro videas Dunæ vada cærula ferri
Quàm Litauos dare terga fugæ, Litauumq; Strategum.
Hîc Dux Ductores verbis castigat acerbis;
Hem Gothicos lepores clypeoq; & casside tectos
Dispudeat mundi imperium, caput orbis & vrbem
Nostrates adijsse Gothos, tantisq; tot annos,
Ex quo sponte sua patrios liquêre triones
Scandiacumq; solum, Bellonam aluisse triumphis,
Martia sub galeis quibus omnis canuit ætas,
Et nos illorum stirpem agnatosq; tribules,
Degeneres adeò nunc indecoresq; videri;
Hanc vnam ad Rigam & paucos trepidare Polonos.
Este viri monstrate genus vos esse Gothorum.
Hi tamen obniti contra, formidine nec se
Certamen fugere, at Gothicum nomenq; decusq;
Tutari certos, at aperta pericla timere.

Perplexus & anxius Sudermannus aduētu Chodkieuicij.

Laus militum Sarmaticorū.

Laus Strateg Regij.

Sudermannus suos timoris arguit.

Gothi orbis vastatores è Scandia eruperunt Anno à diluuio 815.

Acres esse viros Litauos, & nescia vinci
Pectora, quæ leuiore viâ legio obruat omnis.
Tunc excandescens Dux infremit horridus ore,
Mille Diaboli in ore Sudermanni crebrò. Præfatur Lemures & nomina mille Sathanæ;
Ergò eat omnis eat legio ac exercitus omnis,
Non moror. Obsidionis opus nunc tam benè cœptum
Rumpatur: cedant vrbi munimina tanta.
Dux Lunburgiacus Comes & Mansfeldius illi
Commotos animos sedant & pectora mulcent.
Imperat ergò tubę signo cogi vndiq; signa,
Lustrariq; aciem, tentoriaq; alta refigi.
Oratio Sudermanni ad milites. Tum circumfusas intenta voce cateruas
Carolus alloquitur. Nunc nunc ô lecta virûm vis,
Non procul hostis abest, non formidabilis hostis.
Nunc rem tempus agi: nunc spe præsumite pugnam,
Quàm priùs increscant vires animiq; Polonis,
Suppetijs alijs atq; auxiliaribus armis.
Promissa speciosa. Nocte hac aggrediamur eos, accommoda fraudi
Nox est. haud nos effugient indagine cincti.
Hanc si spem tenuem obstreperæ præcidimus vrbi,
Nostra erit, & posthac nobis ea seruiet vltrò.
Vos & Liuoniam securi habitabitis omnem,
Vos cum coniugibus vectisq; per æquora natis,
Et multi domibus capta potientur in vrbe.
Nunc nunc Teutonicas Gothicasq; expromite vires.
Stipendia exigunt milites. Murmur ad hæc oritur. pars Martem inuadere prorsus
Abnuit & promissa sibi stipendia poscit.
Non metuens iugulis, quæ sunt auulsa duobus
Liuonidis, ea dum peterent, illustribus ortu.
Pars animo reuocat quid is antè spoponderit illis
Quàm sua quisq; darent conscripti nomina Marti;
Non conserturos inuictæ prælia genti.
Ille bono iubet esse animo, sine cæde, sine omni
Conflictu exiguam superari posse cohortem,
Ire alacres speq; eximiam præsumere prædam,
Kyrckholmi & numeranda sibi stipendia dupla.
Tum certam

Tum cœnam instituit lautam ductoribus ipsis,
Prædiolo in celebri, cui nomen Florida vallis,
Riga passus mille stat hæc in littore nostro.
Hic vbi pulsa fames, certant æqualibus obbis,
Hortatu *CAROLI* immerguntq; in pocula mentem,
Indulgentq; mero vires animumq; paranti.
Hic se quisq; virum tollit, pręstatq; Thrasonem,
Quàm prius & vicit pleno canit ore triumphum.
Qui nunquam experti vires & robur in armis
Sarmaticorum equitum temnunt ioculariter ipsos,
Atq; superbiloquis in eos conuitia linguis
Irrisos iaciunt, sese in certamine primos
Constitui cupiunt, vt qui tot alacriter olim
Tela repressissent Turcarum asperrima tela,
Copiolas facili domituros Marte Polonas.
Sistitur hæc inter Kraieuius, arte dolosa
Captus, eques Litauus, manibus post terga reuinctis,
Militis os habitumq; gerens, quo terruit ipsos
Conuiuas: humeros maculosi tegmine pardi
Horridus, incessu generosus, & ore sat audax.
Quem simul vt vidit stupuit Mansfeldius, &, si
Sunt, ait, ore pares alij huic & mole Poloni,
Non reor inualidum genus hoc metuensq; pericli,
Nec dubitaturum nostris concurrere turmis.
Non tulit hoc laudis *CAROLVS*: Velare lupinis
Tu simul exuijs, metuendus & horridus æquè
Conspicieris, ait: nec ab vno cætera gens est
Depingenda tibi. Similes huic finge nouenos.
Tum Kraieuius anteuenit iam iamq; rogandus;
Das libertatem fandi Illustrissime Princeps?
Fare, ait, ecce damus. Tum fidens indicat ille
Esse viæ lassum, magnis neq; viribus, agmen
Centurijs constans supra tria millia paucis:
Nec nisi quindecimo cùm sol illuxerit ortu
Spem fore subsidij: tamen his vbi pugna vocârit
Agminibus *CHODKIEVICium* pugnare paratum.

Sudermanno cœna Proceres excipit in Blumendal.

Triumphus ante victoriam.

Kraiewski ex turma Niewirouiana captus Sudermanno sistitur

ndermanno
nita Regiorũ
alacritas.

Hic Dux infrendens, confidentissimus, inquit,
Hisne cohorticulis mecum pugnare paratus,
Qui tot Millia duco virûm lectissima bello?
Num vetulus? demens: iuuenis? termerarius hic est.
Faxo pœniteat temere ac dementer ab illo
Conflictus initi, pronęq; in prælia dextræ.

Paulus Stige-
lius pomera-
us Suderman
i interpres
is captus.

Hic tum Stigelius, vario discrimine linguæ
Et fando pollens, CAROLI interpresq; Polonus.
Si quicquam mihi credis, ait, Rex CAROLE, noui
Quæ virtus animo Litauis, gentiq; Polonæ.
Karckusium docuit, pedites vbi in arma Polonos
Duxi, sed manicas induxi captus ahenas.

Christoph:
Szumius Mar-
alcus castren:
aptus ad ko-
kenhusum.

Increpat hunc CAROLVS peracerba tuensq; tonansq;
Szumius hic; ô Rex licet mihi vera fateri
Tela Polonorum stetimus satis aspera contra
Weissensteiniacam, iam vertitur annus, ad arcem.
Inq; locis aliis sumus his dare terga coacti.
Tantus in arma ruit, tam fælix agmina ducit
Hic CHODKIEWICius, fulmen fatale Gothorum.
Illi nolim equidem, veluti prius obuius ire.
Eius in ære fui, fuga sed me surpuit astu.
Vt cum Lindersone acies direxero nostris,
Extremum agmen agam procul & cohibebo fugaces,
Hic Dux; primus inibo fugam, puto, dicere mauis.
Vt veterem formidat herum Lunburgicus, inquit,

Henricus Bran
us Finno R-
igism; ante
obsequijs.

Pro mercede crucem refugus furcamue referret.
Suscipit hic Brantus. Regi iunctissimus olim
Verna SIGISMVNDO, CAROLO post proditor hęsit.
Sed neq; Finno meus Domino Regiq; priori
Sistere se cuperet belli certamine victum.
Et vetat ipse pudor, mens & sibi conscia praui.

Linderson prę
agit infelicem
uentum pu-
gnæ.

Tum sic Linderson; extremus in ordine pugnæ
Primus & esse fugæ nolim; mihi dedecus illud
Nullus vt improperet, faxo: tamen haud scio quid nunc
Mens, aliâs animosa, mali præsagit ab armis
Sarmaticis, malum lux crastina spondet acerbum,

Malum.

Malum, quo manso malæ dentesq; stupescant.
Hic mihi cœnanti præferuida prandia spondet.
Quid mea mens trepidas? recreeris amystidis haustu,
Atq; mero forti quod ab oris vexit Iberis
Nauita, spe lucri, sed nos haurimus inemptum;
Dixit propinansq; Duci CAROLO impiger hausit.
Ille sub hæc; hauri, trepidumq; cor erige vino.
Vinum animos reficit, facit acria pectora vinum,
Turpe, Leoninum si ceruus duxeris agmen.
Aude animo forti Gothicasq; recollige vires:
Virtutemq; illam nunc exere quam ferus olim
Sæpius expertus, vario certamine, MOSCHVS.
Hic nullum certamen erit, sed idonea noctis
Indago, nisi cæca velint hi prælia noctu
Conserere amentes, & ad vnum occubere cuncti.
Aude animo, spolia ampla feres. Dabrowius heros
Quicquid habet, totum esto tuum. Mansfeldius omnes
Lackij opes adeat. Dux Lunæburgicus auri
Gaza & equis potiatur habet quoscunq; Sapicha.
Res aliorum alijs. CHODKIEWICiana reseruo
Parta mihi, CAROLO succedam CAROLVS hæres.
Tum captum rogitat mensis accumbere iussum,
Multa super Ducibus Litauo super agmine multa,
Et cupidum spolijs animum sibi lactat habendis.
Iam delenifica permulsi à Principe cœna
Ductores armant alacres in prælia turmas,
Pollicitis alacres ærisq; cupidine turmas.
Tellurem infusâ fuscauerat Hesperus vmbra
Finieratq; diem quæ sexta erat ante calendas
Octobres, astrum Phœbo moderante bilibre:
Aere notante suis nonam tinnitibus horam,
Cùm totus campis exercitus ibat apertis,
Vestibus ornatis simul instructissimus armis.
Millia terna equitum peditumq; vndena, Nec vnquam
Huic meruêre pares numero ac virtute phalanges.
Procedunt illi sed lentis passibus: vt cùm

Lindersō stre-nuus olim cō-tra Moschum bellator.

Suderman ātē victoriam spo-lia partitur.

Sudermannici armantur.

Numerus C-orum.

Vultu

Vulturij volitant se tardâ mole mouentes,
Agmine vbi fædo numer osa cadauera campis
Strata petunt: procul hæc acri experiuntur odore.
Machinæ at vndenæ, campestria pyrphora dicunt,
Aere cauo ante aciem, magno stridore trahuntur.
Tormenti genere hoc meditantur atrocia Regis
Funera militibus causamq; tuentibus æquam.
At non hæc nullis æquus Regnator Olympi
Obseruans oculis, oculis, minus aspicit æquis
Hæc periniqua geri: geminas examine lances
Sustinet æquato, fata his vtriusq; phalangis
Diuersa imponit, quò vergat pondere strages:
Vtrum damnet: vtri faueat victoria parti.
Iamq; voluntatis Diuinæ conscia Phœbe
Hostibus horrendum ferrugine tincta, minatur
Exitium cùm nec medium peragrasset Olympum
Noctiuaga. & sparsit lunares sanguine currus,
Increpitans auidos spargendi sanguinis hostes.
Et qui manè subortus erat scelus hocce Bootes
Detestatus erat, sese in caua nubila condens.
Cætera mox etiam latuêre in nubibus atris
Sidera triste nefas exosa. repente secutus,
Hostes quo maduêre satis, densissimus imber.
Fit fragor: immensum cœlo ruit agmen aquarum.
Fallor? an amentes lachrymis miseratus apertis,
An magis hostiles technas remoratus Olympus?
Cuncta madent, pyricus puluis, tubuliq; cauati.
Vix ipsiq; ferunt pedites per lubrica gressus.
Ipse ego, si sineret qui me quiq; omnia frænat,
Expatiatus aquis per apertum vltricibus agmen
Proluerem insano contorquens vortice sæuos
Proruerémq; hostes, simul hos simul arma per vndas
Deueherem, Regina, tibi, meritissima Balthe,
Qualiacunq; tibi dati ab ijs solamina damni.
Vt minus vltus aquis, duris tamen increpo verbis.
Increpo Suecanos quæ tanta insania belli

Tormenta campestria.

Conatus hostium Deo inuisus.

Ecclipsis lunæ eadem nocte.

nocturnus imber hostiles conatus remoratus.

Legiti

Legitimum in Regem contra ius fasq; mouendi?
Increpo Germanos, quæ tanta licentia ferri
Germanas in relliquias Rigamq; vibrandi?
Abijcere arma hortor veniamq; à Rege precari:
More Gigantæo nolint obsistere Diuis.
Si quis eos tangat metus & grauis vltio Diuûm.
At simul ijs tristes denuncio numinis iras
Fatidicus, cladem q; ignominiamq; probrosam
Prædico. Lotauos si spumea pocla colonos
Euentura docent. An me mea falleret alga?
Prædico, strepitus sed euntum ac turbidus Eurus
Omnia discerpens dat nubibus irrita dicta.

Zythomantia Lothauorum.

Carolomachiæ

Liber III.

Et CHODKIEWICium vigilem nox illa tenebat,
Præsagum, quod erat propius certamen abesse.
Angitur ille quidem, sed Numine nititur vno.
Multa putanti animo fessos sopor occupat artus.
At sopor ille breuis, tum se diuinitus illi
Exhibet atq; animos facit inuictissima virtus,
Virtutum quatuor quibus omnis & ars & honestas
Ac omne officium ceu cardine vertitur, vna;
Mente Phrenandrean vocat illam Græcia forti.
Auro illi thorax illusus & aurea cassis,
Cassis iaspidibus, gemmis: cristaq; coruscans,
Et cyclas ad talos argentea defluit imos.
Dextra gerit stimulos infractam læua columnam.
Sic blanda heroem compellans voce locuta est;
CAROLE prælustris Comes, inuictissime Ductor
Militiæ Litauæ, CAROLVM quem fata dedêre
Tempore difficili detrudere finibus hostem,
Atq; Sudermanni contraire ferocibus ausis;
Nunc adeò quæ sollicitum te cura remordet?

Fortitudo Strategum alloquitur.

Hostilis num vis immensáq; copia turbat ?
Fide Deo : duce me, fer fidens pectus in hostem.
Cedere non doctus, sed contra audentior ire.
Regis honos agitur: tua laus & gloria gentis
Sarmaticę, docilis domito hoste referre trophęa.
Relligionis honos agitur cultusq; Tonantis :
Impia quem versis hîc deterit hæresis aris.
Ille nihil metuat cui præsto fauentia Diuûm,
Cui mea vis & adest. te nil ingentia turbent
Gedeon. Castra Sudermanni Manuâ satus ille trecentis
Quantam vim strauit ! Dedit & quot millia letho
Nuniades, vbi sex populos ope Numinis olim
Debellauit, vbi terdenos insuper vnum
Iosue. Dux pius Isacidûm vicit vinxitq; Tyrannos
Sceptrigeros, cum gente Dei fera bella gerentes.
Tu pro gente Dei, Dux inuictissime, pugnas
Indeprauatæ pro Relligionis honore
In fidei Harpyas, inimicaq; nomina Romæ.
Non tibi præsto Deus sit ? non tibi militet æther ?
Non coniurati veniant ad classica Diui ?
Cui sacra Transstato lux crastina vestiet aras
Ipse Stanislaus tibi non præsentior adsit ?
Tu cape fatorum comites in prælia Diuos,
Diuorum & Regem, tibi spondeo, victor abibis.
Ipse magos licet huc traheret Phlegethontis & atri
Castra Sudermannus Phlegethonte potentior æther.
Fide Deo, Duce me, fer fidens pectus in hostem.
Dixit. At excusso recolit Comes illa sopore:
Surgit, & à caculis primo contatur Eoo:
Quonam sit fortuna loco, se tuta timere.
Cùm rerum experiens ego Suecum edico propinquum.
Excubiarum eadem vox est. Suecum esse propinquum.
Tum *CHODKIEWICIVS* iubet arma capessere cunctos.
Mox, ait, eia meis Vincenti VOYNA maniplis
Vincent: Edice armari. præerat nam VOYNA trecentis
Voyna. Pro duce, proq; illo prætoria signa regebat.

Insonuit

Insonuit leuiter lituus taratantara, cunctis
Signum edens vt equos aptent pugnæq; parent se.
Arma fremunt equites, equitum fremit arma iuuentus,
Atq; satellitium famulare gregesq; pedestres.
Interea *CHODKIEWICius* sibi numen amicat
Sacra inter, quæ fert sub papilione sacerdos,
Christe tui recolens sæui monumenta doloris,
Quo dolus ac rapidi domitus Dominator Auerni:
Angelicasq; dapes animiq; amuleta piati
Dux equitesq; pij prælibant corpus *IESV*.
Dux hunc poscit opem supplexq; precatur, vt olim
Martius Isacidûm ductor Machabæus: ô, inquit,
Summe Deus, qui res hominum Superûmq; gubernas,
Nunc viden' hostiles nobis instare phalanges
Nos validis armis dare pessum & vincere certas?
Ad tua sunt oculi directi Numina nostri,
Consule tu rebus dubijs, tu suffice vires,
Tu partes æquas, solitum tibi, Numine firma.
Sacris perfectis litui canor indicat armis
Instructos & equis sua quosq; in signa coire.
Certatim aduolitant & se quadro agmine sistunt.
Prosubiguntq; metus, animantq; valentia corda,
Atq; acuunt iras, thoracas peruolat ardor,
Mutuò & aduersos sese exhortantur in hostes.
Nec longè fluitant hostilia signa paratu
Splendida magnifico. Simul exauditur equorum
Hinnitus, clamorq; virûm, clangorq; tubarum,
Artifici flatu quæ consonuêre, tubarum.
Tympana dehinc, & dehinc & acerna, & ahenea pulsa:
Aereus his lituus, se se istis fistula miscet.
Lentior incedens legio latissima campos
Occupat. Apparet Regalibus horrida sylua,
Sylua rigens ferro, & præacuta cuspide contis,
Vt si Riphæis quis opertis arbore multa
Montibus, alticomas latè ostentantibus ornos,
Floricomam componat Hyblan vel Hymetton olentem.

Strategus & sui se diuinis muniunt.

Hostilis exercitus Regijs vicinior.

Sic acies hostilis erat breue Regis ad agmen;
Ampla, horrenda, ingens, & formidanda vel ipsis
Ad pugnam genitis Nasamonibus aut Arimaspis.
Hæc vbi visa Duci Litauo prædensa Gothorum
Ferrea tempestas, variæ incita turbine gentis,
Sollicitis animis sibi prouidet atq; cohorti,
Non dubius quin forti animo raperetur in hostem.
Non tamen hic potuit metuisse pericula nulla,
Vt Mars est anceps, violato flore suorum.
Vt solers olitor, cui sunt pomaria curæ,
Murmura cum cauri tempestatemq; sonoram
Percipit ac piceam multa cum grandine nubem,
Permetuit non arboribus quæ mole sua stant,
Sed mage ne qua nouos temeret violentia flores.
Consultatio Strategi cum D. Lacki.
Ad latus abducit *THEODORVM* è sanguine claro
*LACKI*adûm Heroem, qui iure vel hostibus ipsis
Fortis habendus Abas vel Abante valentior Aiax.
Alloquiturq; virum, vir ô expertissime belli,
LACKIAdûm Theodore decus, Melitæa secute
Signa diu, Christi sacra coniurata tueri;
Qui tibi Marte Italis peperisti nomen in oris.
Te quia iungo libens, & lætor habere volentem
Consilijs socium, belliq; laboribus, en quæ
Nos modò circumstent & quanta pericula paucos.
Quid sentis? quam, quæso, tuâ nunc mente secas spem?
Nostra queatné manus tantos superare labores?
Nostra pusilla manus queat huic obstare phalangi?
Cui non incutiat vel forti hæc visa timorem?
Quàm latè horret ager metuendis ferreus hastis?
Quàm longèq; armis campi sublimibus ardent?
Esto, nulla equites habeat formido peracres.
Sufficiens in equis lassis tamen ambigo robur.
Quicquid erit tandem, quamcunq; mihi æqua Tonantis
Fata viam dederint, pulchram per vulnera mortem
Hîc mihi dulce magis petere hisq; occumbere campis,
Quàm turpi dare terga fugæ, quàm cedere victum.

LACKIVS huic heros ita reddidit ore sereno: Responsum D. Lacki.
Dux Lithuane, quibus cœlo te laudibus æquem,
Inuictosq; animos & inobruta corda timori.
Cuius adhuc meminit nomen dextramq; potentem
Pannonia à Turcis, defensaq; Moldaua tellus Militaris industria CHODKIEWICII.
A Michaële truci ducente rebellia signa,
Hîc vbi semper eras parti pars magna trophæi,
Ne memorem quod in hac nomen regione decusq;
Gesseris, atq; geris. Nec te, reor, optimus ille
Ille Polonorum Suecanorumq; Monarcha
Necquicquam bellis huic Liuoniæq; regendæ
Præfecit, Samogitarum celeberrime præses,
Torpatensis & esse dedit caput arcis & vrbis.
Cerno equidem magnam numero, vi, robore nubem
Impendere, sed hanc tenui conamine frangi
Posse manus Litauæ, quam Diuûm numine fretam,
Atq; Stanislai, cui lux hæc sacra, beati
Præsenti auxilio confisam feruere in armis
Et video, & lætor. Neq; tam puto, degener vllus
Inuenietur in his qui spe præsumere pugnam
Se neget, aut tecum ruere in media arma recuset.
Ipse ego primus ero; neq; me generosus opinor
Destituet meus hic sonipes, nisi glande petitus
Vel conto fuerit. Lapidem velut antè sub Album
Hostis & atra dies mihi funere mersit acerbo
Quadrupedem insignem, tu testis vt ipse fuisti.
Aspice cornipedes aliorum vt, quamlibet antè
Deffessiq; via defecti & viribus essent,
Iam quatiantq; solum pulsu, rigidosq; lupatos
Ore agitent, spargantq; iubas clangore tubarum.
Macte virili animo fortunatissime ductor,
Omnia fausta tuis spondent ingentibus ausis
Prompti equites & equi, bona causa deinde Deusq;.
Martem inuade pium. Superi pia bella secundant.
Primus ego aduersum, neq; tu prohibebis, in hostem Certamen honestum.
Irruero, reliquos acuens Martemq; lacessens.

Immò, Strategus ait, belli mihi si qua potestas
Hoc proihbebo nefas, in quem spes tota recumbit,
Hunc periisse sinam, vel adire pericula prima?
Hunc anno satis est ardorem explesse priori,
Ad Weisensteinum, me subsidiara in aptis
Signa tenente locis, tu primus in arma ruebas.
Hîc decet euariare vices. certaminis auctor
Nunc ego primus ero. me cætera signa sequentur,
Feruidiori animo. cùm nostrum videris agmen
Marte premi aduerso, tu protinus integer adsis
Subsidiumque feras. vbi me cecidisse videbis
Pro patria, pro Rege pio, pietateque auîta,
Nam te fata dabunt superesse, & opinor, & opto,
Testis eris, simul & Superos & sydera testor,
Hostes me ferro non appetiisse priorem,
Nec verò socios his obiectasse periclis.
Sed me cogit honos & nostræ gloria gentis,

Innata magnanimitas Sarmatarum.

Fidere quæ pedibus non sueta fugacibus, ingens
Dedecus, haud hosti venienti occurrere, ducit.
Me postquam victor vita spoliauerit hostis;
Tu corpus patrio, feret hoc Sueco, conde sepulchro.
Iamque vale extremùm, mihi vix visende deinceps.
Nos ita coniunctos fera si disiunget Enyo,
Consociet saltem, precor, affectatus Olympus.
Hęc fatus, lacrymis illum amplexatur obortis.
Nec fletus inhibere valens ita *LACKI*us infit,
Non ita fata velint, rerum id vetet arbiter. absit,
Absit vt à nobis te sæua reuellat Enyo,
Vt Lachesis tibi fila secet ducenda per annos,
Dignus vt es, Pylios, Litaui spes vnica Martis,
Liuoniæque Pharos, metuendus & hostibus horror.
Tu sub acinacibus pereas hostilibus? absit.
Hoc patere hoc potiùs terræ minùs vtile pondus
Occidere, ante alios tentare pericula belli
Me sine prima, precor. medios moriturus in hostes
Imperio ferar ipse tuo. Contraria mandas?

Demandare

Demandare tuum mihi iussa capessere par est.
Spe teneor meliore, Deus spem suscitat istam,
Nos super hac ambos pugna in fœlice futuros.
Spem Deus hanc velit esse ratam pugnamq; secundet.
I fœlix & successus successibus auge.
Hæc vt amico inter sese sermone ferebant,
Militiæ pars lentè hostem prospectat euntem,
Expectatq; oditq; moras, pugnare parata.
Pars delapsa ab equis submissè Numina poscunt,
Seque reconciliant Superis: clam ritè piacla
Quæq; grauant animum Mystis commissa fatentur,
Securi vt veniæ venientia spicula Martis
Mortis & excipiant. alacres dat cuiq; sacerdos
Attollitq; animos hortando, quisq; pauorem
Corde suo excuteret, quem fors exercitus ingens
Ingessisset eis. Vnum id superesse salutis,
A Domino qui cuncta potest sperare salutem:
Spem faciente ratam præsenti luce Patroni.
Hac spe nempè Ducem Machabæum hoc robore fretum,
Vidit vt innumeram gentem & varia arma Syrorum
Compositosq; locis equites peditesq; sat aptis;
Atq; feras bellatrices, gestare suetas
Armigeras turres & propugnacula dorso,
Vota dedisse Deo, tensis ad sidera palmis:
Hunc superasse preces ope prodigijsq; potentem,
Qui non armorum faciem viresq; tuetur,
Sed dat, inexplicito fert ipsi vt corde voluntas,
Debellare hostes & solis vincere dignis.
Quisq; proinde animis omni se labe piatis,
Ac Superis in opem Superûmq; parente vocatis,
Fingeret, hic à quo victrix stet adorea, dignum.

Alacritas Regiorum & pietas.

Ducis Machabæi exemplũ.

EXPLICATIO COPIARVM ET PVGNAE

IAmq; Sudermannus iuga sub Kyrkholmica tendit,
In medium tendente die, iuga cùmq; notaret
Velitibus Litauûm & leuioribus obsita turmis;

Eripuere

Eripuêre fugam, nobis venientibus, inquit:
En pauci magis audaces in colle resistunt,
Mox fugituri etiam. Cur non in tempore ventum?
Noctis ô insidias cur lux inimica negauit?
O incommoda nox! intempestuus ô imber.
Iam capti nequiêre capi. capitote vel istos,
Siue perire velint, pereant, sinite: icite cunctos.
Nec mora, prosiliunt *CAROLI* qui iussa facessant.
CAROLVS hic comitem se iungere certus. At illum
Illico Linderson inhibet, fraudemq; subesse
Insidiasq; monet. Tun' reris abisse Polonos?
Num *CHODKIEVIC*ium fugientem hæc terra videbit?
In caput antè suum Dunam remeare videbis.
Post iuga compositi nos opperiuntur in armis.
Quin simul explicita legione feramur in illos?
Mox in tres turmas legionem diuidit omnem.
Quæ medium tenuêre locum sex millia pugnam
Sustinuisse iubet congressa viriliter hosti.
Chiliades quatuor dextrum totidemq; sinistrum
Mandat obire latus: quarum hæ circundare iussæ
Copiolas Litauas, Litaua illæ inuadere castra.
Vtq; omnem, ô nymphæ, seriem videatis vtrinq;
Dispositamq; aciem, vobis, en, monstro tabellam,
Effigiemq; rei, nitido quam sculpsit in ære
Scitulus iconoglypta Thumon, nostræ accola ripæ.
Vt grapihca expressus patet hîc exercitus omnis!
Balthe ait vndipotens: agnosco, agnosco Gothorum
Et Suecanorum latè fluitantia signa.
Regale Vplandis crux est gestamen in orbe.
Arcitenens Leo Smalandis, ferus Ostrogothis gryphs.
In campo Leo Vestrogothis bicolore superbus.
Estq; Sudermannis Leo, at ater & horridus alis.
Finnorum his astrum, surrectus & vrsus in ensem.
Cassis at est illis, duo quam vexilla coronant.
Cætera Teutonicis vexilla feruntur ab oris.
Nota minus gerit hîc Princeps Lunburgicus atrum

Sudermann: [...]rita insidiæ.

Regij minimè fugaces.

Diuisio legionis Sudermann:

Aciei vtriusq; ectypoma autho. Thum.

Vexilla Sudermann.

Stem-

Stemmate inaurato, niueum fert *CAROLVS* ipse,
Suecano insigni, terno diademate fulgens.
Non tam bello aliâs vexilla rotare paratu:
Nec tantos in bella viros hic ducere visus.
Mirum? Duna refert, certissimus ille triumphi,
Huc sese extremè rem tentaturus agebat,
Externis opibus bene fultus & ære Borissi
Hodoni, infesti Litauis gentiq; Polonæ,
Præstitæ opis, fidei, iusti ac tutaminis ergo,
Conanti solium *DEMETRIO* adire paternum:
Quod felix, sic ô Superi voluistis, adiuit,
Moschouiæ, Hodono victo, ditione potitus.
Consortem thalami sibi destinat ille Polonam,
Relligione pia, præstanti corpore nympham,
Illustri genitore satam, de stirpe *MNISEK*ûm,
Clara palatino quo *SENDOMIRIA* gaudet.
Nomina Ductorum simul edit & agmina Duna,
Ordo quaternus erat. primo septem ordine nimbi;
Contophororum acies sclopetigeriq; pedestres.
Contophoros inter geminos sclopetiger vnus
Fulminat. His turmæ sex auxiliantur equestres.
Tertius ordo tenet peditatûs agmina sena:
Quina equitum quibus auxilio ala subire parata.
Brantus agens læuum, dextrum Mansfeldius agmen,
Stiuer at inter eos & Lindersonius heros,
Militiæ cui cura fuit suprema, præiuit.
Quisq; sequenti equitum secum rapit ordine turmas
Andreæ quamuis vtriusq; eat inter agema
Reinoldi Engelsi leue Liuonis agmen equestre.
Vertitur in medio Dux conspiciendus vterq;,
Infelix socer, & gener infelicior ipso.
Quisq; suos pedites in equis prætoria signa,
(Hic fit pluris honos & mos exoticus) anteit.
Hos Ioseph Michael peditatu stipat vtrinq;:
Cui dextram stabilit Mansfeldius agmine bino.
Fertur equis *CAROLI* à tergo prætoria turma.

Borissus D. M. Sudermanno fœderatus à Demetrio debellatur.

Demetrius M. D. gener Palat: Sendom:

Dispositio aciei Suderm.

Nomina ductorum.

H. Brantus.
Mansfeldus.
Linderson.
And: Stiuer.

Reinoldus Engels.

Dux Lûburg.

Ioseph Michael.

Fertur vt Engelsi Lunburgus agemate clausus,
C. Szumius. Szumius à dextra quod læua cingit Ericson.
Siggo Ericsō. Hic vna, geminis at cingit Szumius alis.
Sudermann: suos hortatur. CAROLVS hîc omnes ad facta virilia flammans,
Nunc prece nunc dictis animos accendit amaris.
Ecce cohorticulas metuendas viribus istis,
Cernitis vt maiora suis hi viribus audent?
Faxo pœniteat tanti, sed serius, ausi.
Hic interfatus Dux Lunæburgicus, ô Rex
Dux Lunbur: non cōtemnēdos ducit Polonos. Carole, ait, mihi da veniam tibi vera fatenti;
Perpaucos equidem præ nostris cerno Polonos,
At non temnendos nostris legionibus illos
Vincere non numero sed alacribus hactenus ausis
Qui didicêre: sat expertis ego credo Suêdis.
Illi socer succenset. Tum verò indomitas Dux Carolus arsit in iras:
Colligit os rabiem, qua iam fera corda tumebant,
Non ita læsus aper collecta frendet ab ira:
Torua tuens & amara tonans, ita crimen acerbat;
Degener, ô gener, ô nostris contrarie fatis.
Militibusné meis, animos quibus addere conor,
Sic animos adimis dictis muliebribus istis?
Sic omnes facis imbelles, imbellis vt ipse es?
Hui qualem mea nata virum tibi fata iugabunt!
Aptior ille colo quàm conto armisq; videtur.
Non tulit hoc animis, quis enim ferat? ille sat æquis
Namq; ignominiæ iustus dolor addidit iram.
Respondet. Ergon', inflammatus ait, tibi fœmina prorsum
Dicor & imbellis? me demùm Carole talem.
Dic, vbi more tuo refugus vitauero tela,
Tela vicesq; Polonorum. me, faxo, deinceps
Bellacem fateare virum, pedes ecce pedestre
Strenuus agmen agam: pedes obuius ibo Polonis.
Hæc ait, atq; ab equo citus absilit & sibi læues
Generosum se declarat pedes pugnaturus. Deripit ille ocreas, tremulum cristaq; galerum,
Casside permutat. tum dextra corripit hastam,
Stat pediti similis fidenter in arma parato.

Carolus

Carolus hîc posito, generi probat ausa, furores
Atq; virilem animum. Macte inquit: pectore forti
Macte noua virtute gener, sic itur in arma:
Sic domito meriti referuntur ab hoste triumphi,
Nos vt ab imbelli nunc inualidoq; Polono
Spero, relaturos. Sit a spes in robore vestro,
O fidi hoplomachi. Spes est in præside Ioua. Iehouæ nomen in moneta & vexillis Sud:
Nomen vti notulis tetragrammaton eius Hebræis
Nostra moneta gerit, signum quoq; tessera bello,
Cultor vti Iouæ sum sic me Ioua iuuabit:
Este viri modò vos. Gothicas hîc promite vires.
Et vos ô, sæuis imperdita corpora Turcis,
Teutones, Hungariæ quorum est satis agnita virtus.
Et vos ô Bataui vos ô validiq; Britanni,
Quos vel Iber exercuerat vel Gallus in armis,
Hîc præstate viros; vestras quoq; Sarmata vires
Experiatur, & expaueat venientibus annis:
Ac Regem Carolum vobis fateatur adesse, Vexillum prętorium Sudes:
Quem tricoronigera & prætoria nostra profantur
Signa vbi *SVM, SVM, SVM*, repetitum voce Latina,
Quâq; sub aureolâ, manus est vtrinq;, Coronâ.
Teutones este viri Bataui, Scotiq;, Gothiq;
Intrepidis animis inuadite Regia castra. Promissa Sudermanni.
Vnde peregregijs spolijs redeatis onusti.
Persicus vt cultus, sic Persica gaza Polonis.
Ite alacres speq; Attalicam præsumite gazam.
Radite rasicomos iugulotenus ense Polonos.
Atq; superbigrados contis inhibete caballos,
Ni quibus in quæstum malitis tendere vincla
Sospitibus, quos deinde sui multo ære rependant:
Quod vos velle magis tot serica vincla loquuntur.
Totum erit arbitrij, legio fortissima, vestri.
Mallem equidem viuis ergastula nostra repleri Nobiles seruari vult viuos
Nobilibus. partirer ijs ego pensa laborum
In vallis murisq; meis. ignobile vulgus,
Per me quando licet, pedites occidite cunctos.

Ite alacres; est in manibus victoria vestris.
Vos simul instructos ij dispositosq; notârint,
Mox tremefacta fugæ dare terga notabitis illos.
Vestrum erit hanc inhibere fugam: ne gaudeat vllus
Euasisse manus Suconum Caroliq; potentis.
Ite alacres promissa duplo stipendia pendam,
Munus præcipuis ductoribus insuper addam
Munus honorificum. Quid fando ducimus horas?
Quidue faces animis Mauorte flagrantibus addo?
Absq; mora modò quisq; suum Dux explicet agmen,
Neue metus lentæue moræ nos arguat hostis.
Hæc fatum subijsse ferunt ignobile fanum
Et fudisse preces: at eas frustratus Olympi
Rector. an Impietas vnquam pia Numina placet?
At CHODKIEVICius postquam explorauerat hostē
Compositum numero in turmas, è vertice cliui,
Exacta ad socios retulit quos agmine terno
Dispositos hosti opposuit, sic deniq; fatur,
Bellè dissimulans hostilia signa globosuè.
Strategi Regij ad suos oratio. Non metus, ô socij, manus acceptissima Diuis,
Vis inuicta virûm qui me meaq; arma secuti,
Vidi hostem: triginta adeò vexilla notaui,
Et quæ prona Fides sibi plurima fingere visa?
Vnus ad hæc; cæsis numerabimus omnia Suecis.
Tum Dux; opto tuum Superi omen ritè secundent,
Atq; secundabunt: vos dummodo sitis, vt esse,
Gratulor, impauidis animis ac pectore firmo.
Nunc nunc Rex Regum, cui rerum summa potestas,
Qui sapiens moderatur eum quem condidit orbem,
Ille potens vltor, iustissimus arbiter æqui,
Arbitrijs æquis caussam decernet iniquam,
Semper vti solitus: modò vos decernere ferro,
Atq; manu assertrice iuuet. Rex ætheris idem
Vos quando Regis contra hostem perq; duellem
Iustitiæ vltores diuinæ, ex ordine gentis
Sarmaticæ, delegit, equis & vindice ferro,

Tutari fines, & inultum Regis honorem.
Atq; super propria moliri laude laborem.
Si vos laudis amor, si belli gloria, priscæ.
Si Fidei vos tangit honos, vt tangere debet,
Mentem Romanæ subeat Pietatis imago.
Ad vos illa manus tendit: quam nititur effrons
Hæresis innocuam procul his proscribere terris.
Stet conferre manum potius, stet quicquid acerbi est
Marte pati, veteres quàm dedecorare triumphos,
Aut maculare fuga Litauorum nobile nomen.
Hîc spes nulla fugæ. Nos vndis vndiq; & armis
Claudimur. Inde hostis premit, hinc nos Duna coercet.
Vnica spes superest in dextris, inq; ope Diuûm:
Vna salus superest, ab ijs sperare salutem.
Hæc inter Dux nostram vltra Curlandicus actam,
Nobilium tercentum equitum comitante caterua,
Conspicitur *FRIDERICVS*, opem quò rebus in arctis
Atq; fidem probet imperio Regiq; Polono,
In cuius ditione manet celeberrimus heros.
Cùmq; vadi nullam faceret spem fluminis ingens
Alueus, obfirmati animos discrimen ad omne,
Vorticibus rapidos latices transmittere nando,
Impulsis meditantur equis, mirabile dicam,
Ecce repente vadum, scierat quod nemo, repertum:
Excipio ingressos, iter offero mollibus vndis,
In ripam incolumesq; omnes expono petitam.
I felix, aio, Regi fidissime Princeps,
Tuq; equitesq; tui Regis defendite nomen:
Meq; meamq; vrbem vexantia fundite castra.
Quos fuga cunq; metusuè meis glomerârit in vndis,
In mare præcipites deuoluam funere mersos.
Hoc mea Riga dabit precium Regioq; Suèdis
Liuoniæ, toties ab ijs quæsita per vndas.
Horum cæde, reor, modò sanguinolentior ibo,
Quinq; Kokenhusij quàm cæsis millibus ibam,
Est etiam fluuijs mens haud ignara futuri.

Dux Curlād: suppetias fert Regijs.

Duna Ducem trantantem af-fatur.

Clades Kokenhus.

 Ite

Ite alacres, vobis, quamuis ita turbidus, Eurus
Seruiet, excitos nitrato à puluere fumos
Excipiet procul & vacuum depellet in æquor,
Ne vobis turbet nubes ea fumida visum.
Quò moriture ruis Curlande? hostilia clamant
Castra. Sudermannus, finite, inquit, adaugeat agmen
Hîc subigendorum. Nec erit sine Principe tellus.
Quod volui, suberit genero Curlandia nostro.
At Litauis erecti animis, socialibus armis.
En Polemarchus ait, dat vt auxiliaria nobis
Arma virosq; Deus! quid non speremus ab ipso
Vlterius, ferimur manifesto Numine cuius?
Non bona spes animis modò nec fiducia cedat
Numinis Indigetisq; sacri, cui sacra sit hæc lux.
Spes bona det vires, quam vultu ostendit in ipso
Martius ille vigor dudum ac certaminis ardor.
Macti animorum ardore nouo: sua munia fortes
Quisq; suos & obite vices. Fortissime Thoma,
Martis alumne, latus Dambrowa tuere sinistrum.
His qui velitibus præsunt (iuga namq; vocati
Liquerunt, vbi Curlandus transmiserat amnem)
A læua tibi erunt, Abrainus, Mustafa, Bogdan,
Atq; Sakimus: inest ijs vis antiqua Scytharum.
Subsidio Pletebergiades fidissimus vnus
Et Wittingus erit simul & Kosakouia virtus,
Zachariæ hoc acer globus Acmetisq; sequetur.
Qui non spe precij, sed bellum sponte secuti,
Sed proprio ære merent, aciem claudunto volones.
Anteeat præstans Komorouius agmen eorum.
Hoc tamen ex numero prætoria signa sequuntor;
Qui primi fuerint. (Primus vult quilibet esse.
Præmicat inter eos Ioannes Kiszka potenti
Nobilitate satus, nec non Taluossia proles)
Dux centum legit, reliquorum ardore probato.
Tum pèrgit; dextram præstans Nieuarouius armis,
Cuius sæpè probata fides, tutabitur alam.

tratêgus aci-
m ordinat.
Dambrowa
arisophoros
00. ducit.
Velites Abra-
n 100.
Mustafa 50.
Bogdan 100.
Sakin 100.
Pletebergius
quites Liuo-
es 50.
Witting: 100.
Walen: Rigæ
60.
Zacharias Ian.
eatos 100.
Acmetes 100
Voluntarijs
præfectus Ko-
morowski.
Io: Kiszka e-
quites 16.
Taluos 20.
Bialozor 6.
Nieuiarouius
tatis. 100.

Huic

Huic erit auxilio florenti Mlodzcius æuo
Fidentiq; animo, qui ducit in arma cateruas
Pallatinatus florentis honore Trocensis
M. D. Alexā Chodkiewicz Pal: Troc: 150 prz: Mlodzky Ioan: Sapieha 200.
Fratris *ALEXANDRI*. Ducis & tu concipe curam.
Nulla militiæ non parte timende Ioannes
Clara *SAPIEHA*rum rosa, quem generosa tot annos
Fortem in Liuonicis virtus exercuit oris,
Quæ tibi sorte venit, simul hanc defendito partem,
Fac vigil obserues læui molimina cornu
Hostilis, ne nos sinuosa indagine cingat.
Te iuuet haud vno Wilamouius agmine pugnax,
Wielamowski 100.
Armipotente manu, multo quam fortior ore.
Subsidijs quoq; venturi Borkowius aptis
Atq; Gedrociades: audaces viribus ambo.
Giedroyc 100
Ipse meos tercentum equites in prælia prima
Duxero & exemplis ausisq; præiuero vobis.
Sic iubet hortatrix animosi gloria lethi.
Suppetias *FRIDERICE* feres ter ô inclyte Princeps.
Dux Curlād: equ: 300.
Quem Deus in tempus præsens huc egit, vt vnus
Marte, Duces geminos, Friderici nomine, lætos
Ferre Sudermanno socialia signa, retundas.
Hic Dux Curonicus sedato corde profatur
Debita se facere, & simul ad facienda virili
Reccius Curonibus, Piltāis Euhold: pręf.
Bella animo hortatur socios sociûmq; Magistros
Reccium, & Euholdum sequitur quem Piltea pubes.
CAROLVS hos animos collaudat & ordinat vltra:
Iam partes Theodore tuas scis, optime Lacki,
Lacki, 200.
Digne celebrari Litauis annalibus, inquit.
Tu bone Rossa meos pedites fac in ordine primo
Strategus pedites 400. præfecto Rossa
Dextra habeat, iuget hisq; suum Nieuiarouius agmen.
Nieuiarowski pedites 60.
A læua mihi sint acies inferre pedestres
Magnanimi Vilezkouius atq; Dzikouius acer.
Wilkowski 130.
Cuiq; Aquilinus inest animus Gasieuius heros.
Vnum omnes moneo, ne cui pauor occupet artus
Dzikowski 150.
Si quod erit stratagema fugæ, simul imperat ipsis
Velitibus simulare fugam: quibus artibus hostes
Gansiewski 200

E cliuo

E cliuo insesso planum exsinuentur in æquor.
Mox ignem nitro apponi tormentaq; septem
Ænea displodi iubet, vnanimiq; vocari
Voce animoq; Dei venerabile nomen *IESV*.
Protinus imperio parent: concordibus omnes
mufetum Vocibus inclamant; (ferit aurea sidera clamor)
ellicum. Sit Princeps pugnæ ter ô inclamatus *IESVS*;
Terq; vocata parens venerabilis adsit *IESV*:
Præsul & adsit, in hac cui luce Polonica festis
Gens operata sacris Translato instaurat honorem.
Regia mox tormenta tonant, ac turbinis atri
More globi per inane volant, nec inanibus hostem
Ictibus attonitum reddunt: tremefactus at ille
Vexillum inuoluit, felix Regalibus omen
Non temere hoc visum. Quin cùm leuis ordine veles
Omina fausta Neglecto excurrit leuiterq; reuerberat hostem
pugnæ. Congressum, Mars alternat: magis attamen æquus
Lituanis, facit euentus primordia fausti.
Namq; iacent hostes plures: primusq; peremptus
E grege Suecorum, resupino vertice terram,
Nescio quid capiunt fausti ominis inde, petiuit.
Iamq; diu in cliuis acies aduersa moratur,
Glandiuomis pars sclopetis, pars horrida contis:
Scommata in exiguas iaculans & probra cohortes.
Expectans, vt rumor erat, dum Regia castra
Occipiant agitare fugam terroribus acta.
Quodq; expectârat se tandem visa potiri.
Simulata fu- Velitibus visis in se magno impete ferri,
ga Regiorum. Mox versis in equis hosti dare terga sequaci.
Namq; secuta phalanx fugientes, colle relicto;
Atq; locis planis se credere protinus ausa,
Regij hostes Non hanc arte fugam rata sed formidine factam.
in planum ex- Ipse Sudermannus; fugit ô fugit ecce Polonus.
sinuant. An non prædixi? miles fugientibus insta.
Talia vociferans, cestrâ premit, incitat, vrget
Tardantes pedites; crepitant sub verbere terga.

Ergo

Ergo se campos exercitus omnis in æquos,
Destituens iuga diffudit, præeuntibus æneis
Machinulis, sed fulmineis, quas non semel hostis
In Litauas, fermè incassum disploserat alas.
Euro, siue Deo, vim debilitante globorum,
Quàm prius innocuos lacerarent cominus artus.
Ex æquo Litauis vbi iam data copia pugnæ, Classicum.
Increpuit raucus stridenti murmure clangor,
Clarisona irritante tubâ Mauortis amorem.
At Sueconum tuba clara magis, magis arte canendi
Apta, ciere viros, ipsos acuitq; Polonos.
Classica bellisono lituûm concepta canore,
Insequitur clamor pius, æther ipse remugit.
Agminis ad voces iterantis leson Ieson.
Cœlitis hoc amuleti instar fuit. Impete summo
Fertur in aduersam Prætoria turma phalangem. Initia pugnæ.
Woyna magister erat. Socij nec segnius instant.
Cornipedesq; citos & voce & calce perurgent.
Illi equites rapiunt, rapiuntur vt ocyus Euro.
Connixi incurrunt hastis frameisq; coruscis,
Atq; cauis tubulis nocuumq; vomentibus ignem.
Terra renidescit, tot vtrinq; micantibus armis.
Horrescit seges hastarum, Chalybæaq; latè
Tempestas reboat. Clypeiq; & cassides ictæ
Dant sonitum, magnoq; hastilia rupta fragore.
Curlandorum equitum virtus hîc emicat ardens Curlandorum virtus.
Acris ad audendum, pars & prope prima trophæi.
(Succanorum equitum sese his excercita turma
Addiderat, quorum vsq; fides stetit integra Regi
Turma Sudermanno, si qua est, infesta Tyranno)
Detinet hæc magnam magno molimine nubem,
Ceu torrentis aquæ vim detinet arduus agger.
Fundit humi aduersos: validisq; ostendit in armis
Quàm Teuto sit Marte ferox & ad arma paratus
Cùm Superûm fauor & vim vis felicitat æqui.
Principio Sueones obnixi fortiter obstant. Obstinati hostes.

Obijciunt hastis & equis longo ordine contos,
Obijciunt strictos frameis radiantibus enses:
usketi fistulæ. Et sclopos tubulis, Musketos nomine dicunt.
Et credunt Litaui, Litauorum idiomate Muszki,
Cæde, feriue sonat. Cæditq; feritq; repugnax
Hostica gens quocunq; loco vestigia fixit,
Obstinata mori: Cædi quàm cedere mauult.
ubiâ pugna. Ergô alternantes magna vi prælia miscent.
Pontus vt alternis incurrit fluctibus actam
Et retrò meat, & pulsat reuolutus eandem.
oo. equ: ex rategi cohor- amissi. Corpora sternuntur: præfractaq; quadrupedantum
Pectora nobilium contis rumpuntur acutis.
Suffossos & equos equitum pars parua secuta.
lomina quondam è Regijs cæsorum. Magnanimus cadit hîc Taluos, Ladkouius vnà,
Cuius erat fidei Polemarchi credita gaza.
Eiusdem pariter cadis archimagire Mamoci.
Streptouiusq; Iablonouiusq; & fortis Hoholus,
Pengowiusq; Skrzetucius, atq; Kufarscia proles.
Mickieuius, Iurachouidûm par nobile fratrum,
Pauci alijq; ruunt, quorum haud sine nomine lethum
Ibit in annales, & transmittetur in æuum.
Ancipiti neq; Marte diu res gesta: per horæ
Vix partem quartam, contorum imperuia cùm sepes
Vi penetrata fuit, cunei obliquantis & arte,
Prima contophoris internecione peremptis.
Exemplis *CHODKIEWICij* monitisq; cruenti
Sæuit amor ferri. Quin hîc tua vulnera misces
Ducis Curonici virtus. Multorum & iugulis ensem capulotenus abdis,
Dux *FRIDERICE*, comes Comiti, ceu fidus Achates,
Quonamcunq; loci discrimen adiret, adhærens,
Dulce ratus socium vt vitæ sic funeris esse.
Hîc turbata acies, duce Lindersone perempto,
Linderson generosè cadit. Quem perhibent genibus, post vulnera multa, volutum,
Vulnera plura dedisse, decemq; necasse cadendo.
Tantum robur in hoc erat & Mauortia virtus.
Quanta Sudermanno fuit hæc nex caussa doloris,
Amisso patriæ Clypeo, Sueonumq; Stratego!

Vul-

Vulnus in hac pugna, fortissime Woyna, tulisti
Czarkouiusq;, Malisʒeuiusq; valensq; Zienus.
Kierznouiusq; decus Litauûm, Zaborouius atq;
Tansciuѕ, & Ludczyminius, Ladouicius vnà
Cum Mlodzianouio, simul & Sielicia proles.
Quiq; sagittiferi coryti nomine dictus.
Tuq; Ciecisseui, Gdozini, tuq; Piotroui.
Tuq; Kaminsciade vexillifer, atq; priori
De Suecis domitis ad Regem nuncius anno.
Et nonnulli alij pugnando vulnera passi,
Vulnera pro Patria quæ signet honora cicatrix.
Hîc se hostes, retro gressus, texêre, ferendo.
In fanum se Stigelius socios q; recepit,
Vngaricos pedites, desertoresq; maniplos,
Horum idioma tenens, sub Lindersone, regebat.
Quos vbi confertim Litaui producere certant
Damna necemq; ferunt, per apertas nempe fenestras
Plumbea grando volat, summoq; ex culmine fani.
Cernere erat iuuenes hîc primo flore cadentes,
Inter eos cadis, ô iuuenis generose Milicki,
Teq; Seuerinus Krapreuius occubat æuo
Iunior, Esthonici flos Brunoriciq; Lycei.
Fortunati ambo pro Rege Fideq; perempti.
Laude pares ambo. Tua sed, Patria vrbe, Milicki
Funera Villiades plangent, & carmina cudent.
Cæsores horum non lætabantur inulti,
Nam Sueo Lackiadæ famulus quatit ostia vallo,
Pandit & inuitis signum eripit, inde secuta
Regia turma ferit, plures in vincula raptat.
Stigelius ferit ipse suos simulatq; Polonum
Sese equitem frustra. Socias ne desere turmas,
A quo notus, ait, manicasq; tetendit inermi:
Post tamen ille, suâ cum proditrice caterua,
Imperio Ducis, excepit per vulnera lethum,
Bis captus, prius effugium sic iure luebat.
Nititur arte pari Litauos euadere Stiuer,

Vulnerati prætorianis.

Stigelius in Templũ fug

Inde Regios lædit.

Ioan: Milic Vilng huma

Captus Stige lius cum sui Vng: & Polo postmodum medio sublati

Andr: Stiue Scotus captu

Sarmaticam indutus galeam. Sed vbi male profert
Sarmaticum verbum, quo se vetat ille necari,
Proditus, & galea, Kasanouius author, aperta
Agnitus, & pars fit captiuæ magna cateruæ.

Dąbrowę strenuitas.

Iam partes Dąbrowa suas & munus obiuit
Strenuitate pari. Dextrum hostis hic impete cornu
Discussit penetrans, at cum turmalibus, agmen.
Arte pari socios vbi raptat, flaminis vsum
Increbrescentis sibi haberet vt ille secundum,
Paulum auersus abit procurrens, moxq; reflexis
Impetuosus equis, Euro impellente sequaci
Ocyor, aduolitans lateri se immittit aperto.
Perrumpitq; aciem, quo iam semel impete cœpto,
Fertur & obuia quæq; virûm dat corpora letho,
Seq; viam lætatur eâ fecisse ruina.

Dux Lunb: cæditur.

Huius ab Hectorea, Dux Lunæburgice dextra
Te cecidisse ferunt, cæco Mauorte peremptum.
Diuisumq; caput, lacerumq;, ferociter ora,
Atq; manu populatum vnâ, quæ tela vibrabat.
Hoc refer acceptum socero miserabile fatum
A quo iussus eras pedites anteire pedester.
Permistum certamen erat quod fumeus æther
Et tormentorum crepitus sonitusq; tubarum
Incertum fecere nimis, cùm parte sinistra
Ecce ruit Suecanus eques conamine magno,
Vt circumueniat regales agmine turmas.

Strategi vigilantia.

Tum CHODKIWEICius partes intentus in omnes
Admonet officij memorem curæq; Sapieham.

Sapiehæ virtus

Impiger instar aquæ torrentis hic impetit hostem,
Et varijs socias instigat vocibus alas.
Contophoros peditesq; prius perrumpere nixus.

In sinistro cornu hostes pertinaces.

Nec Wielamowiacum, quod agit Frontouius, agmen
Segnius hostem vrget. Surgit pugna, aspera pugna.
Funditur ater vtrinq; cruor. penetrabile plumbum
Vulnificusq; Chalybs, volat vndiq; ferrea rumpens
Arma virisq; nocens, crepitus circumsonat ingens.

Non

Non ita pulsat humum crepitanti grandine corus,
Corus agris, calamisq; ferens lacrymabile fatum.
Subsidiarius hic se iungit alacriter ordo,
Hinc Borkouius, inde ruens Gedroycius acer,
Et latus impellit, sed non depellitur hostis.
Stat contra obnixus ferro ac hastilibus hostis.
Tum se porripuit, quò Dux tempusq; vocabat
*LACKI*us, eius agens sequiturq; Solomscius agmen,
Et ruit obliquans, qua stat densissimus hostis.
Et præpilatos rumpit longo ordine contos.
Romphæam validis vibrat hinc vibrat inde lacertis,
Fit via vi rumpenti aditus, & cæde furenti.
Qualiter excussus ventorum ex flatibus ignis
Fulmen & horrificis in fana fragoribus actum,
Obliqua pauidis præstinguens lumina flamma,
Perfurit, egressumq; citum prohibente sat ampla
Materia, multam lapsu multamq; regressu
Dat latè stragem, magnumq; relinquit hiatum.
Millibus in medijs sic ardet *LACKI*us Heros,
Sternit humi fundens equites peditesq; vicissim.
Turbat & oppositos cuneos, & cedere cogit.
Cædit at is cedens:& huic magis ensibus instat
Atq; cauis tubulis. micat ensis & ignis ad aures
Plurimus, icta silex quem nitro aut fumea stupa
Admouet inflammans. ingenti grando tumultu
Plumbea se fundit latus & caua tempora circum
*LACKI*adæ, penetratq; femur par forte globorum
Et secum impellit pendentis fragmina cultri.
Ipse licet grauiter non vulnere saucius vno,
Non tamen abstinuit nec cædi iræq; pepercit.
Namq; nouas nouus hic dolor auget & incitat iras.
Cędenti, quacunq; viam secat, agmina cedunt.
Cædit hic ac teretem fugientibus ingerit hastam.
Donec eum castris statuit iam vulnere victum
Seruus equum ducens stratis ægrumq; reponens.
Hic *CHODKIEWIC*ius casu concussus amici

Lackij magnanima virtus.

Perrumpit hostes.

Dat stragem.

vulneratur.

Cum Duce Curonico, videt approperare Suëdum
Sclopeto intento fatum crudele ferentem,
Heroicum facinus. Fallitur ille tamen: vice nam Ducis, enecat eius
Armigerum: sed non impune: Strategus in illum
Mox rapiente resultat equo. Fugit ille per orbes,
Atq; per ambages agitatus. at iste fugacem
Strenuus insequitur per deuia perq; patentes,
Transiliente fero, fossas, intercipit ipsum,
Atq; manu nitens vnâ caput abripit ense.
Hostes loci opportunitate v-si resistunt. Nunc, ait, i Ducibusq; necem temerarius infer.
Persequiturq; repugnantes vligine fretos,
Atq; madore loci, cita quos fuga dispulit antè;
Et ferro volitans obit obuia nomina quæq;
Victor & insultat tergo; perimitq; fugatq;.

FVGA HOSTIVM.

Fugiunt. IAm non pugna geri sed visa miserrima cædes.
Primi equites versis pulsi referuntur habenis
Proculcantq; suos pedites. inhibere fugaces
Brãtus captus Finnorum Ductor. sed frustra, Brantus; ô inquit,
Per vos, per Regis Caroli inuiolabile nomen,
Cracouiz iugulatus. Fidite ne pedibus. Plures obsistite paucis.
Talia vociferans, capitur. capulum ilicet illi
Et capitis pœnam capto prædicit Oreas.
Mansfeldius fugit. Se comitem profugisq; Comes Mansfeldius addit.
Degener ipse dato vertit vestigia tergo
Suderm: fugit. Ipse Sudermannus, geminosq; per arua citatos
Erro fatigat equos, Euro rapiente galerum:
Præuentumq; fuga sese indignatus, ad æquor
Quotquot præuenêre necat vel spargit in vndas,
Perfidiæq; notans insincerîq; timoris.
Kraiewski perimitur. Et Kraieuiaden in naui, vt fama, repertum
Transadigit ferro furibundus & increpat; i nunc
Exiguos numero cuneos refer esse tuorum.
Dementia Sudermanni. Millia terna tibi, mihi millia dena videri.
Me fateor pulsum, sed non à gente Polona

Ipse

Ipse Deus vicit, me reppulit ipse Poli Rex.
Non tamen absistam. rigidus tibi Riga redibo
Vltor, adhuc bona vis mihi restat & æris & auri.
Hîc Balthe arridens; nimirum, prædo marinus,
Largus opes rapere, at stipendia soluere parcus.
Demens cum victore Polo qui more Gigantum
Prælia continuet. Redeat, Duna inquit, eodem
Vel grauiore malo mactabitur. Antè minatus
Huic extrema, replens diris terroribus, vrbi
Vicinoq; orbi, fidens armisq; virisq;
Fulminibusq; suis: spe plenus & hauserat huius
Vrbis & orbis opes: tamen ô mirabilis æqui
Vis fatiq; vices! modo vitæ incertus oberrat
Ipse suam pauitans vmbram, virgulta tremiscens,
Per latebras petit ipse fugâ per & auia pontum,
Atq; globi iactum se proripit ocyus extra,
Præsidiumq; in aquis locat in zephyroq; secundo.
Frustra equitum mittis peditumq; ô Riga maniplos,
Qui fugientem ab aquis retrahãt, puppesq; retardẽt.
Ocyus occursare fugamq; inhibere decebat,
Quando cateruatim dat stragem & iugera fusis
Lata cadaueribus replet Lituana iuuentus.
Lassat vbi hæc feriens sudore fluentia multo
Brachia, sudat humus fluido & mea ripa cruore,
Ad mea præcipites vada qui fugêre, sub vndas
Abripui. Forbosus in his, qui Scotica Scotus
Signa regebat, erat. Ter centum euadere siui,
Sed qui Curonicas non euasêre bipennes.
Supplicibus multis, animæq; rogantibus vsum,
Et Pietas Litauûm, Ducis & clementia parcit.
Reualiæ solitus, pro Lindersone, præesse
Inter eos Wittingus erat. Tuq; intimus author
Consilijs CAROLO dandis Francisce venustâ
A barba cognomen habens & origine clarus.
Captus vterq;, fugam CAROLO dum nauus adornat,
Demutatq; citum, quo deuolet ille, caballum.

Victus minatus reditum.

Missi qui fugientem retraherent.

Forbosus centurio Scotorũ submersus.

Multis vita donatur.

Witting. v. cap. Reualiæ.

Franc: Wakerbart Sudg: à consilijs.

Præcipui

Præcipui Sueones, Finniq; Gothiq; tenentur
Mutandis captorum alijs, lytroue petendo.
Partibus ex alijs stipendia sola secutos
Strategi in captos benignitas. Dimittit CHODKIEWICius facilisq; volensq;
Auxiliumq; viæ largum bonus omnibus addit.
Quin, si posset, eos reuocaret ad integra vitæ
Munera quos videt ingenti iam strage iacentes.
Vsq; adeò mouet hunc facies gemitusq; cadentum.
Quod nequit officium viuis impendere, cæsis
Præstat: eos tumulo sinit & succedere terræ.
Curonicoq; Duci affinem permittit auenti
Dux Lūburg. & Linderson humati. Lunæburgiacum, Mariana sed excipit ædes
Rigensis Lindersonem tumulatq; decenter.
Cætera per campos manus & sine nomine vulgus
Tumuli cæsorum. Conditum aceruatim momumenta perennia signat.
Atq; ter octonis, quos hic prope littora nostra
Conspicimus, tumulis monet æternumq; monebit
Fama Sudermanni miserandam principis ἩΤΤΑΝ
Et CHODKIEWICII celebrem super æthera ΝΙΚΗΝ
Iamq; per Hesperias volat hæc celeberrima terras:
Exhilarans Dominam summo cum præsule Romam,
Cymbriacasq; peragrat aquas, & vtramq;, canendo,
Teutoniam, Celtas, Morinos & vtrosq; Britannos;
Moschouiæ Dux Sudermanno minatur. Extremosq; hominum Noruegos atq; Biarmos.
Magnum Moschouiæ recreatq; secunda Monarcham,
Dira Sudermanno minitantem ac bella Monarcham,
Fama Polonicæ vict: Turcis mira. Legitimo ni se Regi submiserit vltro.
Quin Byzantinum stupefecit & illa Tyrannum.
Thracas & Æmathios dedit hinc metuisse Polonum.
Nam quid Achæmenios loquar, aut qui Persica frænat
Sach Abas Rex Persarū Turcis infestissimus. Regna Sachum, Turcis inimicum nomen, Abantem?
Ille SIGISMVNDI canet hoc memorabile bellum;
Et CHODKIEWICII nomen per Bactra, per Indos,
Seras, Iaponios feret Æthiopasq; repostos.
Antè meos latices tibi digna, negauero, Balthe
Quàm Regisq; Ducisq; mei dignissima laude

Ausa

[illegible] ego non memorauero nautis.
Illa sub hæc; Rex, Dux, victoriaq; illa perenni
Laude meretur agi: Sed, in hoc certamine laudis,
Nil tibi, Duna, velim concedere. Si mare nostrum
Maius & imperium est, maioribus ausa Camœnis
Tanta canam, simul hanc aciem pugnamq; peractam — *Victoria aulæ intexta.*
Pectine Flandriaco, vel acu Babylonide pingam,
Nereidum labor hic erit & cita cura mearum.
Regia Maiestas operi primordia tanto — *Regia icon.*
Huic intexta dabit, vultuq; & corpore præstans.
Diuinum spirans oculis ac fronte nitorem, — *Lydorũ Rex Alcimus & Dauid ingenio mitissimi.*
Alcimus alter erit vel miti pectore Dauid.
Regius hunc iuxta stet filius, aurea proles;
Ore WLADISLAVS gemmante, venustior Iphi: — *S. R. filius.*
Moribus herois Mauortis & indole plena.
Stabit in egregijs & *CHODKIEWIC*ius armis; — *Effigies Chodkiewiciana.*
Corpore robustus, ceruice humerisq; torosus:
Oris honore grauis. placidi simul atq; seueri
Maiestas animi splendescit in indice vultu,
Symmetria, qui rarus honor, spectabilis æquâ.
Sese operi accingunt Nymphæ magis arte valentes,
Dunila, Netho, Abule, Pariena & Hyphantria Nais,
Vendela, succineoq; comas perfusa liquore
Flauentes Memele, Curetum oriunda sub vndis.
His Regina operas alacris partitur & instat.
Vna laborantes bona mulcet Vendela cantu,
Vendela Vandalicis Gothicisq; celebris in oris,
Istuladum modulatur epos, carmenq; nouellum.
Vt noua nupta pio data sit *CONSTANTIA* Regi, — *Regina noua.*
Tempore quo Dominam qua pompâ ingressa sit vrbem,
Quo ritu sceptrumq; datum diademaq; Regni.
Dum canit, effigiem Reginæ intexit in auro,
Argento micat ipsa cyclas nitidisq; pyropis;
Aurea torquis habet nitida internodia gemmas.
Gemma sed ouali dependet ab aure figurâ,
Fronte, Dionæo propè par ea splendicat astro.

Coniuiux interea conuiuatorq; Stratego
Prandia finierant; mensæ data dona secundæ:
Liberiusq; serunt de bello verba peracto,
Ductores memorant animos & facta suorum.
Vulneraq; enumerant. Tantis mirantur ab armis
Tam paucos cecidisse suos, plagasuè tulisse.
Præsentemq; fatentur opem, præsentia Diuûm
Auxilia, in tanto tanti discrimine belli.

Præ tot hosti-us pauc: læsi.

Quisq; suas prædas simul & spolia ampla recenset.
Ipse Strategus eis abacum, quem Mula gerebat
Mula Sudermanni Lunburgiaciue Dynastæ,
Exhibet, oblatum sibi muneris instar honori;
Orbes ac pateras auro argentoq; nitentes,
Guttos & phialas, chrysendetaq; aspera signis:
Impleriq; mero iubet & prælibat honorem
Præcipuis Ducibus: sua laus it præuia cuiq;.

Abacus argē-teus Stratego cessit.

Aduenit hæc inter gerulus qui, nomine Balthes,
Textile opus CHODKIEWICio, properumq; laborem
Nympharum exhibeat. vultu capit ille sereno
Materiæq; stupescit opus certare venustæ.
Mox textum ad Regem verti sedet, ac simul omnem
Rem gestam pandi. Sese hîc Cyllenius offert,
Qui donum Regale ferat, missasq; tabellas.
Fit famulo similis, caculæ induit ora togamq;,
Ensem humeris aptat, croceos pedibusq; cothurnos,
Et leue gestamen capiti, quod candida penna
Crispet. ita alipedem calcari Pegason vrget.

Muncius ad S.R.M.

VILNA TRIVMPHAT.

TRansit vt hic Vilnam, videt omnem feruere Clerum,
Iustitio & populum indicto, clausisq; tabernis
Emporicis, fremere insolitis & vbiq; triumphis.
Dena dies Octobris erat. Nam Fama repentè
Victores cecinit Litauos, monuitq; canendum
Ritè Deum, duce quo Litauis victoria parta.
Ergo triumphali fuit hæc lux edita pompa,

Votiuis

Votiuis aris, solennibus edita sacris.
Jamq; *STANISLAI* sacra Tutelaris aditur
Vndiq; Diui ædes. Sacra fert Antistes ad aras
Solennesq; Deo canit hoc de munere grates.
Hoc Euangelicus cathedraq; Orator ab altâ
Commonet, atq; panegyrico victricia laudat
Signa *SIGISMVNDI* Regis, Polemarchon & ipsum.
Eloquio tonat, & gratos iubet esse Tonanti.
Ante fores templi, lecti omni ex ordine ciues
Sclopetis reboant: vexilla rotantur in orbem.
Martiaq; æra tonant, resonant sacra turribus æra
Decedente die; creber volat ardor in auras.
Relligio hîc ita fatur ouans; ô perbona Fama,
Quàm lætis Regem & Craci rumoribus vrbem
Afficies! ibi quo resonabunt templa canore
Gratisonisq; hymnis? Quot Sancti in præsulis æde
Indigetisq; Stanislai pia vota dabuntur?
Rex capiti sacro pia basia figet ad aram
Lætus honorificis cumulans altaria donis
Fidæ gratus opi. Cur non authoribus ingens
Lætitiæ cumuletur honos & gratia Diuis?
Grates de meritis pensæ benefacta merentur.
Hanc pompam varijs Academica turba figuris
Atq; emblematibus celebrat, varijsq; trophæis
In platea erectis, summam quæ ducit ad ædem
Vilnæamq; arcem. Stetit atq; stat ardua Quercus
Capta Sudermanni ramis vexilla remonstrans
Carmine suffixo: mediaq; deinde platea
Pinus vtrinq; stetit, decisis vndiq; ramis.
Hostibus edomitis spolia hæc direpta retendit.
Fama canit lituo residens in vertice pini:
Responsant pueri melos & modulantur in imo.
Pyramides alibi visuntur vtrinq; locatæ,
Regis in his nomen titulusq; decusq; Strategi,
Et Genij laudes vtriusq; in pægmate cantant.
Ponè Arcem gemini Indigetes hinc inde loquuntur.

Sacrum sole[mne].
Sermo Panegyricus.
Festiua gratulatio.
S. R. M. pietas nuncio victoriæ allato.
Trophæa erecta.
Heroes victoriosi repræsentati.

Liuoniæ intentat ferrumq; Rebellio & ignem,

S. Stanislaus. Proterit hanc opifer Stanslaus & eripit illam.

Militiæ arma Duci; Diue ô Casimire, ministras

S. Casimirus. Militibusq; eius: vimq; experiuntur in armis.

Viuat iô exclamant, Rex ac, domito hoste, triumphet.

Viuat iô CHODKIEWICius cumuletq; triumphos.

Non procul hinc sua Rex memorat, qui turbine fundæ

Dauid. Prostrauit Goliam, iugulauit & ense Gigantem.

Samson. Parte aliâ stat crine potens Manoius heros

Crebra Philistiadûm qui castra fugauerat vnus.

Iosue. Deniq; Nuniaden videas agitare triumphos

Hostibus euictis, raptisq; in vincla Toparchis.

S. Michaël. Oppositus Michael premit increpitatq; Draconem;

Dire Draco frustráq; animis elate superbis

Ergo iaces? pedibusq; meis pessundaris? i nunc

Lucifer ambitione tume: pete Regia sceptra:

Sede parem te finge Deo: soliumq; sub amplo

Latè Rex Aquilone loca; tecumq; rebelles

In Dominumq; Deumq; tuum trahe perq; duelles.

Non animi fastus in te socijsq; cateruis

Non tulit omnipotens tumidis contrarius ausis.

Te sociosq; tuos, me vindice, destinat orco.

Aulæum Villiadum. Cuncta ea Villiades signant; imitamine Balthes,

Arte Semiramia, cupiunt & adesse Strategum,

Hunc auidæ reducem paribus decorare trophæis.

Chodkiewicius inopinus Vilnam intrat. Serus hic, ast inopinus, adest & clam subit vrbem.

Se Vilna elusam dolet: ista silentia Famæ

Indignata, Ducisq; animum dequesta modestum

Hunc adeò meriti elogij plaususq; fugacem.

Vnum ergo quod erat super; aduocat illa Camœnas,

Salutatur in Academia. Quæ subita huic tanto Victori epinicia dicant

Iussa citæ peragunt; geminas Academica in aula

Pyramides statuunt: propero reducemq; salutant

Dramatio. Infelix onerata Rebellio vinclis,

Pallade ab armisona rapitur. Bibit auribus ægris

Dedecus ipsa suum CHODKIEWICijq; triumphos,

Ordine quos memorat pubes armata Mineruæ, PROS-

Prosphonemata Victori.

I.

O nimium dilecte Deo, validiſsime Ductor
Carole, quas laudes noſtra theatra canent?
Liuoniam tegis, & patriam tutaris ab hoſte,
Et facis vt ciues otia tuta colant.
Ingreditor trabeatus equis candentibus vrbem
Villiadum, reſonet plauſus iô, ter iô.
Ditibus exuuijs currum Bellona venuſtet.
Victrices præeat capta caterua rotas.
Ipſa Duci ſacras victoria pandat & ædes
Et reſeret Clarias Pallas amica domos.

II.

Victor adeſt Carolus. Superis pia vota repende
Relligio, ſacris thus adoleq; focis.
Relligionis Atlas, Fidei Dux contudit hoſtes.
Dux pius Heretici diſpulit arma Ducis.
Pro Duce ſepoſito, dare vota frequentia ſueſti.
Pro reduce & ſaluo quæ pia vota dabis?

III.

Victor adeſt Carolus, celebres age Vilna triũphos.
Dicat iô populus, ciuis iô, ter iô.
Quod modo liberior, pulſa formidine viuas,
Teq; tot optatæ commoda pacis alant,
Quod tuearis opes commutans vndiq; merces,
Id Chodkiewicio, ſi ſapis, omne feres.

Victor adest Carolus, date carmina, plaudite Musę:
Carolus hic olim vester alumnus erat:
At modo vester is est Tutor placidiſsimus: en vt
Fronte serenato limina vestra subit!
Mars turbat Musas: dat Carolus otia Musis:
Non stet apud Musas gratia tanta Ducis?

V.

Carole an Herculeo præfidens verbere clauæ
Victricem laurum victor ab hoste refers?
An mage Thessalicis, Phasis quibus vsa, susurris,
Dederas Sueonum millia dena neci? (pi.
Abstēt hinc Lemures. opus hoc Dominātis Olym-
Tu Stanslae veni, tu Casimire veni
Vos ego vos pariter cum visa virgine in alto
Auxiliatricem credo tulisse manum.

VI.

Quantas inferias Orco das milite paruo
Carole? præsenti Diuūm ope quantus eras?
Nota fuit timidis conspecta lampade Nautis
Insula Phœbęa mole superba Rhodos!
At tibi trans Lunæ Solisq; vias, super ignes
Ætheris affulsit Virginis auxilium.
Tutus ab hoste manes, & ouantia signa retundis,
Castraq; Suecanis æmula facta iugis.
Terribilis castrorum acies est scilicet illa,
Hostibus illa facit te quoq; terribilem.

Prostratas

Proſtratas acies, manantiaq; arua cruore
Defenſam & Rigam bellipotente manu;
Percipit, extollit, celebrat, deprædicat orbis.
Vox orbis; Sueo dux ambijt, ac abijt.
Orbis vox eadem; belli validiſsimus Atlas
Carolus arx Litauûm, lux patriæ atq; pater.

VIII.

Carole Bellipotens, clauam & Polemarchian vni,
E numero Procerum, Rex tibi ferre dedit.
O prudens animi Rex, qui diſpendere nouit
Munia, & Herculeos mittere in arma Duces!
Sed nec iudicium Regis tua pugna fefellit.
Vincis & hoſtem, in te Regis & auctus amor.

IX.

Viribus audaces & vaſta mole Gigantes
Herculea domiti, conſcia Phlegra, manu.
Huic tulit auxilium domitori bella mouenti
Fulmen ab æthera Iuppiter arce vibrans.
Hinc illos pugnaſſe Dijs fit opinio vulgi.
Fabula in ijs, in te res, Carole, ipſa patet.
Arma Gigantæo Suecanis robore fretis
Quando moues, in eos fulminat ira Dei.
Inuiſos Superis hos dixero iure Gigantes.
Tu Superûm Alcide, Carole, dignus ope.
Viuat hic Alcides, Superi, rediuiuaq; porrò
Marte pari, veſtro Numine, monſtra domet.

In pace

Tacitus de Germ:

In pace decus, in bello pręsidiū.

Liuius Lib: 3.

Nusquam minus quàm in bello euentus respondet.

Liu: lib: 21.

Sæpe & contemptus hostis cruentum certamē edidit, & inclyti populi regesq; perleui momēto victi sunt.

Curt: lib: 6.

Nihil tutò in hoste despicitur, quem spreueris valentiorē negligentia reddas.



Omnia Omnia Omnia



